

De apoplexia : disquisitio theoretico-practica / Fr. Emmann. Foderé.

Contributors

Foderé, F. E. 1764-1835.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Avenione : Apud Seguin fratres ... ; Et Parisiis : Apud Croullebois ..., 1808.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a48q7h5t>


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



19. J. 33.

BOSTON
MEDICAL LIBRARY
& THE FENWAY






F. E. FODERÉ

DE APOPLEXIA.

DEPOSITED IN
BOSTON MEDICAL LIBRARY,
HEALTH AND COLLEGE.
LIBRARY.



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

FR. EMMANN. FODERÉ

55

PHILOSOPH. AC MEDIC. DOCT.

DE APOPLEXIA,

Disquisitio theoretico-practica.

Ἡ κρίσις χαλεπή. Ἱπποκρ. Αφ. ια

A V E N I O N E,

Apud SEGUIN FRATRES, Typographos et Bibliop.

Et PARISIIS,

Apud CROULLEBOIS, Bibliopolam, Viâ
Mathurinensium, n^o. 398.

1808.


MASS. MEDICAL COLLEGE

FR. EMMA W. FORD

PHYSICIAN AND SURGEON

DE APOPLECTICA

Disquisitione medico-practica



19. J. 33.

A. V. B. O. N. E.

Apogee of the Boston Medical Association

IN PATENT

AND COUNSELLORS, BOSTON, MASS.

1853

1853

P R O O E M I U M.

JAM à triennio, in ditione quâ medicinam exerceo, multiplices fiunt encephali morbi. Phrenitidis exquisitæ, cujus huc usque tantum apud priscos exempla habueram, quinque casus mihi licuit observare, in quibus comprobabatur *Hippocratis* sententia: « qui-
» cumque supra quadraginta annos phrenitici fiunt,
» non ita valdè sani fiunt. Minus enim periclitantur,
» quorum naturæ et ætati morbus adfinis fuerit. »
Aphorism. LXXX. sect. VII. * At, frequentiores
fuere apoplexiæ; quarum in sola urbe Martigiorum,
popul. circiter 6000 anim., plusquam triginta insultus,
hoc temporis intervallo, in praxi occurrerunt, olim
ex omnium consensu, rarissimi. Massiliis, autem, aded
frequentes fuerunt apoplexiæ, anno elapso 1807, et
ex numero fortium, ut judicaverit hujus civitatis So-
cietas Medica, morbum talem proponere objectum
Præmii anni sequentis. Undique, è locis finitimis,
de grassantibus mortibus subitaneis conqueritur.

* Ὅσοι ὑπὲρ τὰ τεσσαράκοντα ἔτα φρενιτικοὶ
γίνονται, οὐ πάνυ τι ὑγιάζονται· ἥσσον γὰρ κινδυ-
νεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσεως καὶ τῆς ἡλικίης
ἡ νοῦσος ᾗ.

Parisiis quoque feraciter egerunt mortes subitanæ , per hunc annum 1807 , præcipuè mense Augusti , inter quas , apoplexiæ citò lethales , referente D. *Double* , in expositione Constitutionis medicæ æstatis hujus anni (Vide *Diarium gener. Societ. Med. Parisiens. mens. Octobris 1807*). Multiplices etiam fuere insanix , atque in acutis , deliria frequentissima.

Ferox , heu , et portentosus morbus ! quocum infans adhuc et incerta conflictatur Medicina ! Ego quidem , à viginti et amplius annis quibus artem exerceo in nosocomiis et populariter , plus quàm centum casus apoplexiæ observaveram , inter quos vix viginti felices ; quanquam nulla à clarioribus celebrata remedia neglecta fuissent , pro conjectata natura morbi : venæ sectio , jugularibus , brachiis , pedibus ; cucurbitulæ variis locis appositæ , sine , vel cum scarificatione ; vesicantia ; sinapismi ; purgantia ; emetica ; acria clysteria ; anti-spasmodica , et nervina dicta , etc ; omnia plerumque incassum !

Improsperâ adeo experientiâ , an , non , à tramite vulgari discedere licitum esset , et novum quid , seu , non æquè usitatum , cogitare et tentare ? Sit ingenii opus , meditatioque . Ego quidem , de virium imbecillitate sollicitus , novis lucubrationibus . morbi clavim detegere conatus sum ; ad naturam medicatricem fortiùs adhæsi ; apoplecticos curiosiùs , die , nocteque , observavi ; certiores physiologicas et pathologicas notiones , in actu accommodare studui ; indeque , genitum hoc opusculum , omnium Orbis

terrarum medicorum arbitrio , non vanæ gloriæ cupiditate , sed , ut , ad hostem nimis neglectum , novum attendant animum subicere decrevi.

Utinam possit , ex nostris , quæque sint , conaminibus , unicus , antea desperatus , æger , orci fauces declinare ! Magnam et optatam laboris consecuti erimus mercedem.

Dedi Martigiis , die 12^a. Mens. Julii. Ann. 1808.

Index Capitum.

CAPUT	I.	<i>Descriptio morbi, ejusque variarum specierum. Pagina</i>	I
CAPUT	II.	<i>Apoplexiæ differentiæ, ab aliis soporosis affectibus.</i>	12
CAPUT	III.	<i>De causa apoplexiæ proxima, cum historia morborum, et apoplectorum cadaverum sectionum, atque adnotationibus.</i>	24
CAPUT	IV.	<i>Apoplexiæ probabiliore causæ remotæ et occasionales.</i>	48
CAPUT	V.	<i>Historia medica opinionum, de causa, natura et curatione apoplexiæ, cum adnotationibus.</i>	68
CAPUT	VI.	<i>De prædictis opinionibus, heroicisque quibusdam medicamentis (ut venæ sectio, emetica, purgantia, vesicantia, etc.), critica inquisitio.</i>	129
CAPUT	VII.	<i>Nostra apoplexiæ divisio, atque medendi methodus, sequentibus quorumdam apoplecticorum historiis.</i>	III
CAPUT	VIII.	<i>Apoplexiæ probabilior prophylaxis.</i>	209
<i>ADNOTATIONES.</i>			225

DE APOPLEXIA,

Disquisitio theorico - practica.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio morbi, ejusque variarum specierum.

I. **A**POPLECTICUM dicimus eum qui, antea sanus, vel sano similis, absque exteriori causa, repentinum fecit casum, tanquam ex lethali percussu, cum loquelæ et etiam vocis suppressione; mentis, sensuum, musculorum, (exceptis nervis striatæ vitæ dicatis) plus vel minus integrâ resolutione.

II. Morbi, varii sunt gradus: *fortissimus*, in quo intra horæ spatium homo lethaliter sideratur; *fortis*, cui aliquot supersunt dies; *minus fortis*, hemiplexiâ terminatus; *levioresque* alii, ut infra dicetur.

III. Concurrunt in *forti apoplexiâ*: immobilitas perfecta totius corporis; contractio vultûs; quibusdam palpebrarum conclusio, aliis suspensio; oris hiscens distantia, aliàs dentes compressi; pulsus densus, parvus, initio rarus; respiratio, quandoque naturalis, plerumque parva, difficilis, stertorosa, ab initio etiam aliquoties spumosa; mutitas, et etiam aliquoties vocis privatio; articulorum gelidus torpor; color, initio, naturalis, vel rubefactus, plumbeus; involuntaria lacrymatio; deglutiendi plerumque impotentia; urinæ et alvi suppressio.

Succedunt, pejorante morbo : vultûs major adductio, ut longior factus videatur; præcordiorum prominentia; totius corporis frigidus torpor; spuma circa os copiosa; pectoris stridor; superiorum partium sudores frigidi; immobilis et supersuspensa palpebrarum et superciliarum positio; oculi vitrei; insensibilitas plus, minusve perfecta; lateris non resoluti convulsa agitatio, ut æger sæpius manum è stragulis retrahat.

IV. Quanquam, ut ultrà videbimus, illæsâ respiratione, quidam apoplectici moriantur, in plerisque tamen hæc læditur, quod, jam observante *Galeno, de loc. affect. l. III. c. V*, in omnibus soporosis affectibus, præcipuè in apoplexia, semper mali ominis est : cum enim visceribus, musculisque universis, principium motûs ab insitis ipsis nervis accedat, qui à cerebro et medulla spinali, initium primum sortiuntur, non parvam in cerebro morbidam dispositionem esse conjiciendum, ubi spirationem vehementer impeditam conspexeris. Itaque, oppressi, manû liberâ, automaticè stragula repellunt, sudantque, ex spiritu molestiâ; hocque malum est.

V. Discrimen quoque varium est, si vox unâ cum loquela extinguitur : grave enim est loquelam amittere, sed gravius voce destitui. Vocis debilitas, instrumentorum vitæ debilitatem prænuntiat; cum verò deficit, vitæ animalis nervos non solos affici ostenditur, sed etiam illos functionibus vitalibus inservientes; inter quos, præter diaphragmaticos, et intercostales, præcipui numerantur *recurrentes*, parvi, et magni sympathici, progenies. (Vide nostrum *Physiologiæ positivæ Tentamen*; n°. 346 *). Vidi ego in apo-

* Essai de Physiologie positive appliqué spécialement à la Médecine pratique. 3 vol. in-8°. Avignon, V^e. SEGUIN, 1806.

plecticis, quorum os apertum manere curaveram, linguam, cum vocarentur, motum aliquem tentare; nihil inde sperabam, cum vox amissa esset; observaremque laboriosam summoperè fieri respirationem, ad quam, thoracis et scapularum musculorum, omnes concurrebant conquassatæ vires.

VI. Spes salutis aliqua habetur, si corporis fugantur torpor atque frigus; si partes quæ motu omninò carebant, aliquantisper moveri incipiant; si facilius et liberius fiat respiratio; si deglutitio non adeò molesta sit ac priùs; si punctus vel inclamatus ægrotans, palpebras vel labia moveat, significans sese audire vocantem posse. Multi verò, etiam cum his bonis signis lethalem habuere finem, quidam primâ die, alii tertiâ et quartâ; et alii ad septimam et nonam supersites fuerunt. Rarò autem hi evadunt, absque altero corporis resolutio latere; idque ferè fit primis quatuor diebus, quod tempus, si absque hac crisi morbus transeat, plerumque occidit. Observavi autem, post celeb. D. *Quarin*, mali semper ominis esse, manum eidem capitis parti crebriùs ægrum admovere.

VII. Sentire autem adhuc tantisper videntur quidam apoplectici, dum ulla partes movere nequeunt: multos vidi auditu, et sensu, in partibus faciei gaudentes, quanquam jam conclamati essent: ratio est, ut in nostra *Physiologia* explicavimus, quòd sentire sit tantum, veluti quiddam pati; moveri autem, ceu quoddam sit agere: quamobrem ut quis moveatur, opus est robore; at, ut sentiat, minima facultas satis est, quæ si fugit, fugit et vita. Deinde, non in omni apoplexia forti, simul offuscantur in cerebro, omnes radices nervorum; tunc enim cessant, ut aliquoties evenit, motus cordis, vasorum, pulmonum, intestinorum: illæsa in principio manet medulla spinalis, quâ producitur magnus intercostalis (vide nostr. *Physiolog.* n°. 336). Libera videtur origo sympa-

thici medii (opus citat. n^o. 330). Ex sensibus, auditum ultimum morientem, in apoplexia, ut in aliis morbis, observare licet; tum nasum, supercilia, tempora, et partes retrò aures, quid sentire adhuc diù, mihi visa sunt, unde radices nervorum facialis, et nervorum auditivorum (opus citat. n^o. 328 et 329), quid sani per magnum tempus servare, conicere permittunt. At, pejorante ægro, omnes cerebri regiones pedetentim obtenebrantur, et etiam medulla spinalis, unde sensuum, et viscerum functiones, sensim atque sensim deficiunt; resolvuntur ventriculus, intestina, anus, vesica; spirandique eodem progressu augetur difficultas. Habet autem apoplexia, ut alii morbi acuti, suam exacerbationem et remissionem, quæ tamen nullam regulam servant; pulsu, et respiratione equidem distinguuntur, sed præcipuè sentiendi et audiendi facultate; ita ut quidam ægri, mane sentiant et audiant faciliùs, qui vespere insensiles sunt, et vice versâ, prout se habet remissio, matutino, vel vespertino tempore.

VIII. Pulsus, in omnibus soporosis affectibus inflammatione non sociatis, languidus et rarus tangitur; quod certè cerebri et nervorum in omnibus machinæ systematibus, supremum imperium manifestat. In apoplexia, quandiù mediocriter natura ipso affectu turbatur, nullam mutationem in pulsu, tantisper notabilem est reperire, præter tempus exacerbationis: tum, aliquid convulsi observatur; nam latera arteriæ, dura, resilientiaque tanguntur, unde conjectatur irritans quiddam originem nervorum, magis quàm in remissione, inesse. Ubi vero invaluerit affectus, inæqualitatem quandam, ac tensionem fortem adsciscit, longiorque fit pulsus, languidior, et rarior. Quòd si affectus ipsas vires dejecerit, pulsus efficiet languidiores, inæquales, frequentes, ac celeres.

IX. An febris suscitatur in apoplexia; an utilis? Vidi apoplecticos mori absque febre, aliosque, et majori numero, febricitantes. Felicioris ominis febris præsentiam esse, quàm absente, inde concipitur, quòd nasci illa non possit, nisi adhuc expeditis plurimis nervis; solvere itaque aliquoties potuit apoplexiam, ut voluit *Hippocrates*. At, ad hanc solutionem, plurimæ exiguntur conditiones: 1^a. ut febris satis citò superveniat; nequaquam enim utilis est febris adveniens, morbo jam confirmato, quod ipse notavit *Hippocrates* in *Coacis*, dicens: « apoplecticæ affectiones derepente exolutorio modo fiennes, febre, temporis progressu accidente, perniciosæ ». * Quapropter minime præfidendum est pulsum elatiori vibrationi, post aliquot dierum tarditatem: rectè enim jam observantibus *Valesio*, *Rhodio*, *Ballonio* et *Baglivio*, in omnibus affectibus comatosis, præcipuè lethargo, et apoplexia, dum pulsus qui, per tres vel quatuor dies, parvus fuerat, fit illicò magnus, et in magnitudine crescit, mortem præ foris esse judicandum est; nonque à natura medicatrice hoc fieri, sed à crescente causa irritante. 2^a. conditio est, ut apoplexia sit ex genere pituitosarum, frigidarum, aut saltem ut in ægro non admodum emineat habitudo sanguinea; nam pulsus febrilis ab initio, in apoplexia sanguinea, sæpiùs obest quàm prodest. 3^a. Nihil boni à febre expectandum, si nedum respiratio levetur, è contra gravior evadat; probatur enim impotentem esse ad causam morbificam subigendum, magisque potiùs ac magis, ab aucto circuitu, viscera impediri.

X. Largum urinæ profluvium aliquando bonum

* Τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένως ἐπιπυρετήν αὐτὰ χρόνω, ὀλέθρια.

signum est , cæteris concurrentibus symptomatibus ; sed videndum an non eveniat ex resoluta vesica. Etiam aliquando salutaris est sudor copiosus ac validus , è toto corpore manans ; at mali ominis est , ubi in principio morbi , absque symptomatum imminutione profluit , et ubi partes tantum superiores occupat.

XI. In apoplexia quam *minus fortem* dicimus , attonitus homo brevi surrexit , mente compos , sed cum vario gradu torporis , et immobilitatis totius medietatis corporis ; sic ut in vultu , illicò appareat spasmus dictus *caninus* ; in manu , cæpendi impossibilitas ; in pede , standi impotentia ; in gutture , deglutendi difficultas ; in lingua , et labiis , balbuties. Si primâ , vel saltem secundâ die , in locis resolutis , aliquid sensus et motus redierit , spes est : si verò somnolentus fiat æger , respiratio difficilis evadat , unoque corporis latere paralyti correpto , alterum convulsivè moveatur , brevi perfecta apoplexia renovatur , sinistro cum eventu. Cæterum , et si hemiplexia perfectè sanetur , facillimè recurrit. Hæc per noctem , et in dormiendo aliquoties succedit ; ut nuper vidi , in agricola vici dicti *Sancti Mitri* , qui , cùm die 15 februarii 1808 , sanus et lætus lecto se commisisset , manè , inscius , hemiplecticus lateris sinistri , et cum linguæ impotentia , expergefactus est.

XII. Quidam , et plurimos nosco , vertigine , et parvâ tantum mentis perturbatione afficiuntur , ut , aut alienentur , aut tristes et somniosi videantur , aliquidque alienum loquantur , ut si mox è somno excitarentur. Hic apoplexiæ primus gradus est , qui , non nisi repetitis vicibus occidit. Ex his , alii statim sese colligunt , nullâ sequutâ paralyti ; alii , et numerosiores sunt , paralyti partis , vel partium corporis , afflicti , inscientes resurgunt. Itaque frequenter dimidia , vel tantum quarta pars linguæ , et musculo-

rum oris , resolvitur , ferè occulto modo , usque dum ridendo , loquendo , et connivendo , malum deprehendatur ; siquidem læsæ partes omnes , tunc , cum violentia , et strepitu quodam trahuntur : labium risu caret , et inter loquendum non movetur ; ad litteras quasdam lingua non inservit ; palpebra non volubilis ; oculus intentus , ac rigens est ; tangit quædam pars , et non percipit. Felici forsàn eventu ! gravitatem morbi non percipiunt plerique ægrotantes ; unde fit ut rudes , fortunæ sese committere anteponant , quam dolorosæ , fastidiosæ , plerumque ignaræ , et ferè semper inutili medicinæ ?

Inter alios , sequentis grata mihi est memoria : unus ex chirurgis nosocomii Martigiorum , senex fere octogenarius , macilentus , honestus , me , præteritâ ætate , conveniebat , dum inviserem ægros , venæ sectionem instituturus , quam præscripseram : balbutientem inspexi , cùmque os obtortum observassem , manum quoque dexteram perlustravi , cujus duo digiti impediti erant. Inscius , mox levi insultu apoplectico correptus fuerat , quo jam pluries in lungavita afflictus est. Pedetentim redierunt in manu motus et sensus , ut officio adhuc vacet bonus ille , minusque balbutiet. At , neminem horum , quanquam diu supervivant , morbo longo extinctum vidi ; sed omnes tandem inopinatâ et acutissimâ apoplexiâ rapiuntur.

XIII. Ob casum repentinum , ad apoplexiam revocare judico , potiùs quam ad coma vigil , vel somnolentum , morbum sequentem , quem bis observandi occasio fuit , in corporibus cacheticis : derepentè obmutescit æger , et cadit , absque motu et sensu. Resumptus , et in lectum positus , omni momento nauseat , et quid viscosi vomiturit ; vultus , pallidus , productus ; caput dolet ; impossibilis mutatio schematis jacendi , et si violenter in alio latere cubare æger tentet , animi deliquium. Primis tribus diebus , pulsus

magnus , rarus ; respiratio illæsa ; nulla sitis , cibi nulla cupiditas , alvi nulla ejectio ; sopor vigilans . Quartâ die et sequentibus , præter dicta symptomata , per diem , pulsus submissus , rarus , post quintam , vel octavam pulsationem , inæqualis ; dolor , caput non amplius occupans , sed nuçæ colli fixus , et obtusus ; nocte , pulsus semper rarus , sed magnus , durus , convulsus , et æqualis ; respiratio paululum elatior ; subdelirium . Diu sic vivit æger , et tandem perfectè apoplecticus moritur . Quid similis observasse *Hippocrates* videtur , cùm in *Coac. prænot.* notaverit : « soporati , decolores ,.... cum pulsu sepulto ,.... cervicis dolore angi queruntur.... Quicumque servantur , » ferè purulenti redduntur » . *

XIV. Est ultimæ senectæ apoplexia , quâ extinctas imprimis vidi matronas , ferè octogenarias , siccissimæ habitudinis corporis , signis antecedentibus prævisa : debiles et tremulæ fuerant ; rerum recenter actarum , et etiam notabilium , immemores ; præterita , præsentia habebant , firmo animo , ut etiam filios , et maritos à longo tempore demortuos , vivos crederent ; in rebus domesticis , sagaces tamen plerumque et sapientes : inopinatè aliquoties sensu et motu privabantur , ex quo relevatæ , linguæ balbutie , surditate , et quorundam artuum paralyti afficiebantur ; caloris , spirituosorum , et analepticorum auxilio , pedetentim sanatæ . Inter hæc , ciborum appetentissimæ : at , de improvviso , languebat appetentia , et ut si iterùm digestionis vires ventriculum deseruissent , cerebrum occupaturæ , vires motrices alacriores videbantur ; sapientius mulier loquebatur ; mira quædam vaticinabatur ; et dum quid cibi hauriret , insultu apoplectico , ster-

* Ὑπνώδεις , δύσχρωτες ,.... σφυγμοῖσι νωθροῖσι ,.... τράχηλον ἐπώδυνον φασὶν ἔχειν.... Οκόσοι δὲ σώζονται... ἔμπυοι ὡς ἐπιτοπολὺ γίνονται.

tens, intra horam è vivis subducebatur. Fatum im-
 medicabile.

XV. Succedit non rarò apoplexia quibusdam mor-
 bis. Phrenitidem, et lethargum hanc vidi excipere.
 De apoplexia epilepsiæ succedente, plurima sunt exem-
 pla. An non, à parotide retrocedente, sublatis ægri,
 qui jam restituti videbantur, apoplecticâ morte ra-
 piuntur?

XVI. Ad apoplexiam essentialem pertinent huc us-
 que dicta; at non desunt exempla apoplexiæ *symp-*
tomaticæ improprie dictæ, cujus causa longè à ce-
 rebro latere creditur. Inter viscera, ventriculus pri-
 mus est, cujus cum cerebro reciprocum consortium
 quotidie observatur. Neminem latet capitis vulnera
 biliosos vomitus suscitare, ejusque dolores, quomo-
 documque fiant, nauseam, stomachique morsum co-
 mitari. Hypochondriacas et flatulentas affectiones, me-
 lancholica comitatur tristitia, haud secus quàm acutas
 febres, delirium; nonnullas ori ventriculi dispositio-
 nes, affectio suffusioni persimilis sequitur; frequen-
 tissimum est ejectâ per vomitum bile flavâ, dolorem
 capitis compesci; et inter optimos medicos convenit,
 epilepsiam aliquando capiti, à ventriculo oriri. Me-
 moratur *Galenus, de loc. affect. l. V*, de juveni
 quodam grammatico, qui, quoties, vel nimis vehe-
 menter docebat, vel cogitabat, vel esuriebat, vel
 irascebatur, epilepsiâ, ob nimis acutum sensum oris
 ventriculi, corripiebatur: tertiâ vel quartâ quâque
 horâ, exhibito pane optime preparato, solo, si non
 sitiret, ex vino albo, modicèque adstringente, ma-
 dido, si siti cruciaretur, atque singulis annis, bis,
 aut ter, purgatione ex aloe, hunc *Galenus* perfectè
 restituit. Sic ego quoque, feliciter plures epilecticos,
 purgantibus, intermissis corroborantibus, sanavi. Quo
 alio autem nomine vocabuntur soporâ narcotismo,
 qui, rejecto vomitu veneno, derepentè evanescit?

vel coma puerorum à lumbricis ventriculum obsidentibus , aut à crudis et indigestis humoribus ? Non tantùm autem à ventriculo , sed à longè dissitis partibus , ad caput perveniunt insultus epileptici , et omnis nerveorum , et sympathicorum morborum caterva : à motibus abdominis spasmodicis sæpè incipiunt ; aliàs , à manu , à pede , vel à crure ; ita ut appropinquantem paroxysmum sentiat æger , vinculoque possit euntem sistere ! Eccui medentium ignotum est , nervosis partibus inflammatis , promptiùs , quàm reliquis , delirium supervenire ? Vesicæ dolores abnormes , uteri affectiones , et similia , encephalicos morbos quos non mentiuntur ?

XVII. Febres intermittentes soporosas , et ferè apoplecticas , pluries in nostra praxi observavimus. Ad illas forsàn revocari meretur apoplexia periodica cujus mentionem fecit , testantibus multis auctoribus , *Fredericus Casimir Medicus* , initio libri *de Morbis periodicis*. Sed de his aliàs.

XVIII. Hoc morbo faciliùs corripì nuncupantur , naturâ obesi , humidi , desides , collo breves , belluini ; at pari numero , et forsàn majori , apoplectici , observantur , inter macilentos , sobrios , exercitatos , naturâque biliosos. In multis esse potest quædam dispositio constitutionalis ad morbos capitis , ut in aliis , ad morbos pectoris , abdominis , etc. In quibusdam congenita exstat hæc dispositio , testantibus plurimis auctoribus : juvenes quidem nosco vertiginosos , quorum omnes parentes apoplexiâ correpti fuere. Sartricem quoque , in domo familiarem , habebam , quadragenariam , cephalææ obnoxiam , quæ dum patrem apoplexiâ defunctum , adhuc lugeret , cum variis mœroribus afflicta fuisset , ipsa etiam ictu apoplectico , æstate proximâ , derepentè extincta est. Præexistente ergo hâc proclivitate , causæ variæ quæ aliis morbis etiam adscribuntur , apoplexiam faciliè producere poterunt.

XIX. Sunt hæ causæ : vulnus , percussio , refrigeratio diuturna , cruditas , Venus (præcipuè in senibus) , vinolentia ; aliquoties risus immodicus , cantus , nimix meditationes , exstaticæ contemplationes , animi magna pathemata , motus violentus , salivatio mercurialis frigore interrupta , dormitio in loco recenti calce illito , aut plus æquo calefacto ; retenta evacuata consueta , et præsertim fluxus hemorrhoidalis ; podagra repressa , vel atonica ; rheumaticus dolor ab extrâ ad intûs motus ; aliorumque retrocessio ; catharrus fortis , etc.

XX. His causis favent , 1^o. ætas : quanquam enim , omni ætate , apoplexiâ corripì possimus , frequentior tamen est à quadragesimo vitæ anno. Non autem ferè unquam ab hâc juveniores affliguntur , absque lethali eventu , forsân ob naturam hemorrhagiæ in cerebro , quæ ab arteriis pendet , dum in senibus , sequutâ hemiplexiâ , aliquas sæpè inducias permittit. 2^o. Cœli , annique tempestates : hiemem , hanc ægritudinem gignere præcipuè , ubique legitur ; secundò , vernum tempus ; tertio , autumnum ; æstatem , omnium minus , quod non semper verum. Passim circa æquinoc-tia , et solstitia apoplexiæ observantur ; observantur quoque spirantibus frigidis aquilonibus , post austri diuturnum dominium. At , certis temporibus nonnunquam etiam apoplexiæ et paralyses grassantur , quarum nulla certa satis causa apparet , ut crediderint cum vulgo , etiam medici , quid in aere ignoti et venenosi fuisse.

XXI. Frequentiùs invadit apoplexia , nullo præcedente signo : nonnunquam tamen prodromos habet , qui aliquam prophylaxim permittunt , quanquam etiam promiscuè antecedant plerosque capitis affectus , ut veternum , epilepsiam , furorem , etc. Sequentes sunt : gravitas , torpor , vel capitis dolor ; vertigo ; aurium tinnitus ; motus difficilis ; vultûs mœstitudo ; invo-

luntaria, absque ophtalmia, lacrymatio; oculorum ruber, vel duplex intuitus; narium levis hemorrhagia; palpitatio membrorum, et præcipuè labiorum; tremula, et minus expressa loquutio: oblivio mox dictorum; somni breves; cogitationes, sive apparitiones vehementiores; somnia mortis repentinæ, in non hypochondriacis; difficultas egestionum; frequens sensus frigoris, vel caloris, per spinalem medullam.

XXII. Adnotatione digna etiam judico signa sequentia: 1^o. vultus coloratior et plenior cum naribus compressis, in homine cæterùm gracili, ut si meliori valetudine gauderet. Mihi adnotaverat hoc signum socer meus, medicus optimi iudicii, felicique praxi clarus, usque ad 91 vitæ annum, quo defunctus est; illiusque signi veritatem sæpissimè confirmavi. 2^o. In plerisque senibus observare licet, magnam cibi appetentiam, optimamque digestionem, apoplecticum insultum præcedere, ita ut, postquam ab amicis et parentibus, de optima valetudine, ob vigentem appetentiam, et faciem vegetam, congratulati sunt, in eduliis, aut paulo post subito resolvantur.

C A P U T I I.

Apoplexiæ differentiæ, ab aliis soporosis affectibus.

XXIII. **I**NUTILE exercitatis medicis videri potest differentias apoplexiæ ab aliis morbis conscribere; multa tamen adeò habet communia cum soporosis variis affectibus, ut comata, lethargus, catalepsis, insultus epilepticus, et histericus, etc, ut indocti et juvenes, (ut quondam mihi evenit), in diagnosi faciliè etiam decipi possint. Eòque magis, quòd noso;

logistæ plerique ad unum genus tot varios morbos revocaverint. Reipsa, nullum ex hac confusione nasceretur incommodum, si magis exspectans esset medicina; cùm vero in simili urgente negotio, vocatus medicus derepentè agere debeat, mosque invaluerit apud vulgus, de venæ sectione, aliisque majoribus auxiliis illicò cogitandi, quæ pro natura morbi, non semper absque alea porriguntur; primam ergo artis cardinem judico, cujusque ægritudinis rectam imaginem præ se ferre, ut, an agendum sit nec non, quidque agendum sit absque damno, promptiùs discernatur. Hanc autem habere imaginem nequeunt tirones, nisi naturali descriptione morborum: illis enim fucum facit simplex quorundam symptomatum, pathognomonicorum dictorum expositio, cùm symptomata non semper eadem sint: ita, exempli gratiâ, olim à *Galeno* didiceram, laboriosâ respiratione imprimis differre apoplexiam ab aliis soporosis affectibus; at sæpè me fefellit simplicior hæc regula (IV). Non ingratum quapropter fore, spero, si quorundam soporosorum morborum brevem profero descriptionem, tam ex antiquorum monumentis, quàm ex meis observatis; hanc comparandi gratiâ, cum præcedenti apoplexiæ delineatione.

XXIV. Atque, primùm, adnotatu dignum censeo, soporem non esse somnum, neque somnum soporem; somnus enim functio est naturalis, periodica, vitæ necessaria, sicut aliæ functiones; optimique est omnis, in omnibus morbis, ubi, sicuti et aliæ functiones, naturali modo, ægrum repetit. Sopor autem opprimens semper est passio, præsentè causâ morbificâ, vel in capite, vel in ventriculo, vel alibi, fotâ. Itaque, tempore remissionis, etiam dormiunt apoplectici, lethargici, aliique; solatiumque ipsis est hic somnus; sopore vero afficiuntur, tempore exacerbationis. Ne autem, quod somno et sopori commune sit, non

sentire , fallere possint medicantes , dormientes tanquam depressos excitando , aut oppressos tanquam dormientes , absque adjutorio , relinquendo ; somni et soporis utilem ducimus discretionem facere , quam reperire est in colore , caractere , respiratione , pulsu , tactu , et schemate jacendi.

Color dormientium est nitidus , floridè vividus , et naturali habitudine plenus ; soporosorum vero , pallens , vel plumbeus , vel quolibet alio colore adfectus , invenitur. *Character* , sive aspectus dormientium , hilaris est , naturalis ; soporosorum vero , tristis ; convulsique semper , et conducti , quid præ se ferunt. *Spiratio* dormientium , ordinata ; soporosorum , tarda , inordinata , observatur. *Pulsus* equidem major est in somno , et in sopore , quàm in vigilia : sed plenus et regularis , in dormientibus observatur ; irregularis et tensivus plerumque in soporosis. *Tactus* ferè semper nobis evolvit in soporosis præcordia tensa , et totum corpus durius ; dum è contrà , dormientium totius corporis , mollior tactus efficitur. Quoad *schema jacendi* , ferè semper soporosi , à capite lecti ad pedum loca delabuntur , et incomposito jacent corpore ; dum è contrà dormientes , congruâ naturæ positione cernantur laxatis musculis , et flexuosis artubus. Tandem à remissionis vel exacerbationis tempore , facilè intelliges an sit somnus vel sopor ; somnum enim dixeris , si in declinante accessione , æger quieverit ; soporem verò , si in initio , vel augmento accessionis , id acciderit.

XXV. Comatum propriè dictorum , tres numerantur species : *coma vigil* , *coma somnolentum* , et *carum*. In comate vigili , sunt : capitis dolor , ardens , expansivus , cum sensu ebullitionis ; propensio ad somnum , illiusque anxium desiderium , sed vanum , et , si paulisper adimpletur , prompta expergefactio : symptomaticum est , familiare in acutis feбри-

bus, et vix unquam derepentè nascitur : dum è contrà, apoplexia illico oritur, absque morbo præmisso, et absque febre.

XXVI. In comate somnolente, contraria : languor, assidua somnolentia, contra voluntatem, et intra edendum, colloquendum, muneris obeundum; vigiliæ per intervalla; sed rursus in promptu somnus. Vix cum febre. Symptomaticum in hemiplexia : idiopathicum in senibus, in lauta dieta cum ignavia, in suppressis consuetis evacuationibus; tempore caniculari, et vehementi hieme.

XXVII. In caro : sopor profundissimus, ex quo nec clamore, nec agitatione, nec etiam puncturis excitari queunt; jacent ægri attonitorum instar; sed spiratio ferè est naturalis, ut dormientium. Tres autem cari gradus, sive species. Prima, quæ sociatur acutis febribus, circa earum principium, vel incrementum; cui nonnunquam convulsiones superveniunt, ac singultus, vitæ imponentes finem. Altera, cum ægri, post toleratas vehementiores acutas febres, ex insigni debilitate, altos incidunt sopores, inque iis per aliquot dies permanent; excitati, ad interrogata respondent, mox verò iterùm obdormiscunt, et tandem expergefacti, ad se redeunt, omniumque, quæ, sub eo sopore, loquuti sunt, inscii, convalescunt. Contingit etiam talis sopor, per febres acutas, maxime exanthematicas, circa dies criticos, ut notavit *Hippocrates*, tumque sudore junctus, optimum exhibet præsagium. Tertia species cari, occurrit in, morti, ex febre, proximis, in eaque per unum, alterumve, ante mortem, diem, ægri, viribus exhaustis, sensu, motuque destituti, ac alto sopore oppressi, jacent, subque eo tandem expirant.

XXVIII. Pluribus antecedentibus signis, cum apoplexia communibus, prænuntiatur lethargus, et præcipuè vultûs inflatione (XXII), jam notante *Hippo-*

crate, in *Coac. prænot.* Præsens, et inchoans veterum, hæc habet propria : interrogatus æger, non statim, sed paulo post respondet; jussus, vel exemplo persuasus linguam exerere, non, aut tardè obedit, et cùm protulerit, non reducit, vel tardè colligit : si quid manu tenuerit, nescius, atque involuntariè demittit; si meiendi sentiat stimulum, matellam non postulat, vel si petierit, nescit datam, atque urinam non demittit, nisi admonitus, hancque difficulter excludit, vel paulatim, et turbulentam, aliquotiesque plurimam. Tandem, oblivio tanta est, (quâ notâ præcipuè lethargia insignitur) ut quidem cùm oscitant, (quod ipsis perfrequens est) claudendi oris obliviscantur. Initium hujus morbi ferè semper sociatur febre lentâ, cum calore non admodum mordaci. At, ingravescente morbo, hæc omnia pejorantur; colore plumbeo, vel livido, fœdatur vultus; fit adductus, caperatus, ut afflictorum; elevantur præcordia; pulsus, ex obscuro, fit major, rarus, inflatus, digito tangenti vacuitatis sensum præbens; à quo ab apoplexia differt, in quo pulsus est rarus siquidem, sed densus (VIII); differt etiam hic pulsus à sopore ab narcoticis, in quo pulsus est rarus, sed plenior. Respiratio est tarda, magna, cum quodam gemitu, et quo in pejus ruit ægrotans, eò fit tardior, et altior, ut extincta videatur. His ergo et aliis, quæ supervacuum describere judico, discernitur lethargus ab apoplexia, in qua ferè semper adest absoluta sensuum privatio; quæ repentinum, tanquam ex lethali percussu, facit casum; quæque quo pejoratur, magis stertorosa respiratione sociatur.

XXIX. Plures quoque prodromos habet *catalepsis* communes cum aliis cerebri ægritudinibus. Breviter dicam, me catalepsim audire repentinam, mentis, ac sensus, motusque corporis, plus, minusve perfectam destitutionem, cùm tamen aliquâ excitabilitatis musculosæ,

culosæ, perfunctione; nempe, in eadem forma manet æger, qua in morbum incidit, sive sederit, sive cubuerit, idque, vel clausis, vel apertis palpebris; eumque modum qui ipsis datur, membra servant, sive extensionis, sive flexionis. Insuper, vocis silentium, oculorum stans, atque fixus obtutus; ferè naturalis, saltem in principio, respiratio; pulsus magnus, vehemens, plenus, et humectus: vultus in rubore efflorescit. In quibus non perfecta est sensuum destitutio, palpebratio quædam observatur, si quis ante oculos digitum circummoveat; videnturque suo obtutu manus trajectum sequi: in clamati, inspicientes lacrymantur, nil dicentes, sed volentium respondere vultum æmulantes; odoramentis jucundis se delectari ostendunt, jugi adducta inspiratione, et pravos odores aversari, nullo facto spiramento probant; dulcia, atque amara, linguæ admota, sentire etiam manifestant; item, per puncti, sentiunt, vel lacessiti, horrescunt. Est vel acutus vel chronicus hic morbus. Catalepsim acutant, concomitant febres acutæ, typi sint continui, vel periodici. Distinguitur facilè ab aliis soporosis affectibus, hoc unico caractere, quòd ægrotantis membra positionem datam servant, dum, præcipuè in apoplexia, membra elevata concidunt. Abire tamen potest in lethargum, et apoplexiam.

Memorat *Hollerius* secretarium quemdam, nomine *Vasco*, in febris declinatione, et alvi profluvio, urinis bene coctis, certam valetudinis spem præbentibus, catalepsi deprehensum, uno die, obiisse, anno 1552, mense Augusto. Aperto cadavere, pulmones et hepar, corrupta inventa sunt, serum quasi rufum cerebro posteriore contentum, et sanguis concretus in majore vena, quæ medium caput perreptat. Historiam quoque profert senis pauperrimi, macilenti, in catalepsim lapsi ab inopia, qui mensæ accumbebat, apertis oculis, erecto, ac firmo corpore, manu dapibus admota,

ut vivere, et prandere, mortuus videretur. Vide opera *Hollerii*, pag. 60.

XXX. De lethargo et catalepsi oratio occasionem mihi præbet digressionis, (cujus veniam concedat lector B.) vindicandi causâ, antiquos ab injuria ipsis, à recentioribus quibusdam illata, febres periodicas, mali moris, illos non cognovisse. Etenim, priscorum plerique, inter quos *Diocles*, *Praxagoras*, *Archigenes*, *Asclepiades*, *Chrysippus*, *Soranus*, *Magnus*, *Cælius Aurelianus*, etc. catalepsim consideraverunt tanquam symptoma febrium intermittentium, typi, præcipuè quotidiani, et tertiani, ut et febrium remittentium, et subintrantium. Notaverat *Praxagoras*, (unus ex primis successoribus *Hippocratis*, ex insula Coos; vide *le Clerc*), quasdam febres quæ invadebant juvenes, ab anno duodecimo usque ad decimum septimum, quæ quâdam privatâ perniciæ, mortis habebant effectum, catalepsimque, vel lethargum simulabant: id autem servis, magis quàm liberis eveniebat; et successit, ut quidam à catalepsi liberati, et sani nimis sibi visi, plurimùm edentes, repenti in mortem venirent. Apud Romanos, viderat *Asclepiades*, (tempore magni Pompeii hic vivebat), febres frequentes typi periodici, quarum invasiones comitatæ erant corporis atque mentis oppressione, in similitudine lethargiæ, quæ secundo, vel tertio die, in statu accessionis, statim recalefacto corpore, vel cessante vehementiâ, in resumptionem mediocrem revocabant ægrotantes; quæque, si, non reverà, sed figmento tantùm cessabant, semel adprehenso ægro, nullam resurrectionem dabant, sed in sudores, et respirationem celerem, in pulsum humilem, et in mortem desinebant. *Soranus*, *Magnus*, et *Cælius*, *Methodicorum* principes, tradiderunt, frequenter ægrotantes catalepsi, et lethargo affici, cum typis quotidianis, vel tertianis, rarò cum quartanis: accedereque prop-

ter diuturnas accessiones , febrem tertianam servare similitudinem typi quotidiani ; item omnium harum febrium gravius esse , articulorum frigidum torporem , qualitatem febris constituere ; levius , cum sit tantum horror ; ex omnibus autem minus grave , cum sine his symptomatibus , solo fervore , hæc febres initium accipiunt. Observata autem hæc , perenni experientiae consentanea sunt. Vide *Artis medicæ principes* , inter quos , *Cælium Aurelianum*.

XXXI. *Epilepsiae* fortis accessio , multa , aliquoties , cum insultu apoplectico similia habet. Hujus enim morbi species duæ , quoadmodum , distingui possunt : alia quæ somno similis altissimo videtur , et alia quæ diversis contorsionibus corpus adficit. Harum prima gravior judicatur , siquidem similis est apoplexiæ , at , plerumque , raptu , atque violentâ musculorum contractione adprehensi , exinde in altissimum soporem deveniunt. In omnibus , præsentè accessione , sunt : sensus privatio , ut ignis actionem nequidem sentiant ; in quibusdam , immobilitas perfecta , cum ore demisso , vultu pallido , respiratione tarda , pulsu magno raro , atque alti soporis simili oppressione. In aliis , diversa membrorum diductio , et impetuosa projectio ; vultûs contortio , et etiam oculorum , quæ , post accessionem sæpè perseverans , strabos et vagos , fingit ægrotantes , quod tamen in leni insultu haud evenit. Accedunt , gutturis stridor , et singultus , faciei rubor , venarum inflatio , et aliquando pulsûs , et respirationis cessatio ; tum , per intervalla , virium recreatio : palpebrarum suspensa positio ; dentium illisus atque stridor , cum prolapsa lingua , quæ sæpè dentibus præciditur. Sequuntur sæpè , præcordiorum inflatio , stercoreum , et urinæ involuntaria emissio ; sudor roscidus , rigenti corpore. Ferè omnibus , ante dimissionem , per os atque nares fluit spuma ; quidam confusas voces emittunt. A tanta agitatione resumpti , mœsti sunt ,

conquassati, pandiculantes, oscitantes, omnium gestorum ignari. Manent per aliquod tempus: piger motus, totius corporis marcor, oculorum turbatio, venarum frontis inflatio, et aliquibus, mentis alienatio.

Vix perfectior, quam in paroxismo epileptico, habetur imago perturbationis omnium functionum, illarumque etiam cessationis, plus vel minus læsâ communi origine nervorum, ab influxu, qui sæpius à distantibus locis procedit, quique præviditur (XVI), ut quotidianam habeo occasionem observandi. Ferè perfecta etiam est primæ speciei, cum apoplexia, similitudo, ab illaque nisi accessionis brevitate discedit, quæ si in longum porrigatur, apoplecticis raptus dici potest. In pulsu autem nullum est discrimen, cum jam advertente *Galeno* (*introduc. in pulsus*), epilepticorum et apoplecticorum pulsus sint similes; sed discernuntur morbi, 1°. ab affecta respiratione, quæ si vehementer opprimatur, apoplexiam denotat; 2°. quòd epileptici insultus brevè finiantur, magna ex parte bona valetudo illos subsequatur, dum è contra longior sit accessio apoplectica, illaque solutâ, creberrimè soleat paralysim succedere; 3°. quòd in epilepsia, sit plerumque mira convulsio universi corporis; 4°. quòd in illa, spuma ex ore fluat. Minus tamen valeret hoc ultimum signum, si unicum esset; cum viderim quosdam apoplecticos, etiam ab initio spumosos.

XXXII. Apoplecticos facilè est discernere, à correptis hystericâ præfocatione, vel hypochondriacâ accessione. Incipiente passione hystericâ, nausea multa fit, cum ventris quodam rugitu; sensus omnes pedetentim deficiunt; respiratio fit difficilis, creber, et brevis; posteaque ita arctatur, ut veluti vinculo præstrictæ fauces videantur; æger obmutescit; pulsus, initio, vix immutatus, fit obscurus, parvus, retroactus, intermittens; et prout resurgunt, fit plenior, major,

frequentior. Dentes sæpè illiduntur , atque stridunt ; spuma quoque aliquoties os foedatur , et in insultu non rarò etiam observantur saltus membrorum , ut in epilepsia. Hæc in uxore mea carissima , dum gravida est , sæpè heu nimis , per duo , vel trium horarum spatium , observavi. Hæc etiam licuit videre , primis hujus mensis Martii diebus , in juvene hypochondriaco , qui à compressa ira , mutus et rigidus factus , apoplecticus ita credebatur , ut jam apud eum sacerdotem invenissem sacris vestibus indutum , extremam Ecclesiæ romanæ unctionem ministraturum , quem recedere deprecavi , promptam ægrotantis salutem in me recipiens. Ad hystericum insultum revocare censeo leves apoplexias ab *Hollerio* observatas , in gravidis , ad 40^{um} diem , et ad 4^{tum} mensem. Hos insultus vidi in mercatoris uxore , 9^{no} graviditatis mense , terminatos epileptico paroxismo absque noxa , nec reditu post partum , qui primus erat.

XXXIII. Faciliùs adhuc ab apoplexia discernuntur , insensibilitas , immobilitas , et aponia , quæ comitantur animi deliquia , asphyxiam , syncopem , et frigus intensum. Frigus , videbimus in hujus opusculi cursu , veram aliquoties producere apoplexiam ; at si debiles occupat , vel si vehementiùs algeat , calorem vitalem , excitabilitatemque absumit , veramque , inficiendo nervos pulmonis et totius corporis , asphyxiam causat. At , in asphyxia , ut in lipothymia , et syncope , vix remanent pulsus et respiratio , quo inprimis ab apoplexia distant. Deficientes animo , propter alimentorum inopiam , habent oculos distentos , dentes disjunctos , et concidentes ; pulsum parvum et adeò imbecillum , ut aliquando interire videantur , cum frigido torpore. Sed hæc , ut in asphyxia et syncope , diu durare nequeunt ; quæ si perseveraverint , morbum soporosum significant.

XXXIV. Aphoniam aliquoties pro caro sumit *Hip-*

pocrates, aliquotiesque pro apoplexia. Non pigeat hac de re, *Sennerti* et *Spigelii* referre observata. Ait primus, se aliquoties in praxi observasse affectum quemdam, qui meritò ad aphoniam refertur; an tamen sit apoplexia dubitat, cum potius inter epilepsiam et apoplexiam positus esse videatur. Etsi enim veluti apoplectici concidant ægri, tamen motu planè non privantur, neque convelluntur, neque etiam vox in initio planè perit, sed interdum quædam pauca tamen proferunt. Talis aphonia est quam ebrii quandoque patiuntur, ut exemplis sequentibus patebit: Vir quidam doctus, debilitate ventriculi laborans, cum mensæ assideret, et parum comedisset, subito color faciei mutari cœpit, vocemque amisit, ita tamen ut quædam pauca loqui potuerit. Motus non fuit ablati, cum manu, medicamenta propinanda à se propelleret, et ab adstantibus ductus, ambularet. Oculos habebat apertos, neminem tamen cognoscebat. Accidit verò, ut cum ultra dimidiam horam ita habuisset, surgeret, et stans, sed ab adstantibus sustentatus, evomeret cruda multa, ac plura, quàm tum absumpsisset. Post vomitum, statim ad se rediit, et adstantes agnovit, se tamen vomuisse non meminit; atque ita, horæ spatio, ab hoc affectu liberatus est. — Simile malum alium quemdam virum, mediâ nocte, post crapulam invasit; qui itidem vomuit, sed vix post horas duodecim, liberatus est. Idem post quinque septimanas, horâ tertiâ pomeridianâ, eodem malo correptus est, cum solus esset; pronus in faciem concidit, frontemque parte sinistrâ, læsit, et pronus in facie jacens reperi- tus est. In lectum deportatus, mox vomuit aliquoties, neminem agnovit, motu tamen non planè privabatur: nam omnia medicamenta, manu sinistrâ tamen solâ, à se repulit, et stans à ministris sustentatus, in matulam minxit, paucaque locutus est. Post horas duas, planè mutus factus, stertere etiam cœpit, et aliqua

convulsionis indicia in brachiis apparuerunt , et ante sextam vespertinam , mortuus est. — Alius quidam vir , *hepate calidiore* præditus , cùm crapulæ nimis indulisset , subito , mensæ assidens , omnium sensuum perturbationem passus , atque aphonus factus est. Sermonem post horam recuperavit , sed sensuum illa perturbatio diebus aliquot duravit. — Eo morbo , plus quàm vigesies correptum fuisse , ducem militum auctor agnovit , semperque tamen convaluisse. Omnes post vomitum meliùs se habuerunt , nullusque paralyti fuit correptus , quod non fieri solet in apoplexia. Hunc affectum nasci plerumque , ait *Sennertus* , à consensu partium inferiorum. Addam à dispositione hypochondriaca , cui bibuli sæpè obnoxii sunt. Vomitorium suadet auctor , quod protinus vomitum provocet , et præ cæteris tutissimum judicat *vitriolum album* in juscule aliquo pingui sumptum , quòd statim vomitum provocat , cùm cætera vomitoria plerumque tardiùs id præstent.

Similem morbum observavit *Adrianus Spigelius* :
 « Est , inquit , morbus in Germania et Pannonia frequens , quem Austriaci , Moravi , et Styri , *timo-*
 » *rem* appellant , inter apoplexiam , et epilepsiam
 » quodam modo ambigens. Cadunt enim veluti apoplectici , sine sensu , non tamen motu privantur ,
 » nec convelluntur , ut epileptici , aliquando stertunt ,
 » nec tamen discusso morbo , paralytin alicujus membri incurrunt. ». Vide *horum auct. opera. cap. de capit. morbis.*

CAPUT III.

De causa apoplexiæ proxima, cum historia morborum, et apoplectorum cadaverum sectionum, atque adnotationibus.

XXXV. QUOTIDIANA constat experientiâ, levem cerebri compressionem, oculorum caliginem animique deliquium producere; majorem, soporem, stuporem, sensûsque, ac motûs privationem. Quæ si diutiùs pergunt, vitæ cessatione terminantur. Sit directa hæc compressio à corpore quocumque, vel impediatur redivis sanguinis venosi cerebri, in corde dextro, à ligatura, suspensione, polyposa concretione, plenitudine venosa eximia, vel alio modo; iidem effectus consequuntur. Quæ docent experimenta in vivis, morborumque observatio, confirmantur, invariabili modo, anatomiciæ pathologicæ monumentis.

Verum equidem est, in multis morbis, effectus mortis pro hujus causa sæpe haberi potuisse: injustè tamen agere mihi videntur recentiores quidam, qui omnino hoc genus rationis rejiciunt. Cùm enim ex plurimorum cadaverum sectione, semper in iisdem morbis, eadem inventa observentur, morbi phænomenis consona; cùmque labes profundæ reperiantur quæ tam citò à morte recenti effici non potuerunt, dubiosus omnino de certioribus esset, qui adeò constans argumentum in indaganda natura morbi rejiceret: hujus autem characteris sunt in corpore apoplectorum observata; quæ numerosissima, ex variis temporibus, et auctoribus, collecta, tantam similitudinem inter se ferunt, ut nullius morbi adeò comprobatai judicem causam proximam, quam apoplexiæ.

XXXVI. A seculis XIV, XV et XVI, apoplexiæ causam per cadaverum sectionem, indagasse medicos, Italos imprimis, ex celebri *Boneti* Sepulcreto comperitur, in quo numerosæ variorum auctorum horum temporum, collectæ leguntur observationes, quarum in substantia est semper repertum fuisse in calvaria apoplecticorum: modò, *in ventriculos cerebri sanguinem effusum, ut et ad basim cranii, plexûsque retiformis, vasa tumida, inflata, subnigra;* modò, *aquam limpidissimam, viscosam, gelatinosam;* modò, *varios abcessus, tumores, concreta extranea corpora.* Similes labores persecuti sunt, *Columbus, Fernelius, Platerus, Bauhinus, Willisius, Lindanus, Valsalva, Wepferus,* etc, usque ad seculum XVIII, quo curiosiùs adhuc et doctiùs, morborum causæ in anatomicis lucubrationibus perscrutatæ sunt, semperque, cum eadem consecutione.

XXXVII. Profitetur *Columbus* (de re anatom. l. 15), se non semel dissecuisse, qui ob fortem apoplexiam obierant, in quorum cerebro magnam aquæ copiam reperiit, perspicuam quidem, sed glutinosam; aliàsque, se observasse *piam matrem*, in vesiculas limpidas, elevatam. — *Fernelius* (de abdit. l. 11, c. 15) refert historiam viri viribus integri, qui sinistri oculi ictu vehementiore repente attonitus corruit, et horis duodecim, absque sensu et motu interiit. Secto cranio, vidit auctor, interiores oculi venas contusionis vi diruptas, à quibus sanguis concretus, cochlearium duorum mensura, in cerebri basim probucubuerat; ventriculi prorsus illæsi, inanesque cernebantur. Alium secans idem *Fernelius*, qui, citra causam externam, apoplexiâ extinctus erat, vidit plurimum humorem crassum et viscosum, ad basim cranii, super contextum vasorum retiformem. Aliàs, caput apoplectici perlustrans, in hoc nihil observavit, præter sanguinem grumosum in jugularibus. Ideò, *Nis-*

mannus sedem apoplexiæ posuerat in torcular *Herophili*, quòd ibi sanguinem grumosum inveniisset.

Felix Platerus (de observ. propriis), apoplexiâ mortuæ anus, calvariam cum aperisset, cerebrum ipsum in meningibus velut fluctuans deprehendit; quod, mox dissectâ crassâ membranâ, puris alicujus instar, vel mucii crassioris, per faciem diffluebat. *Marcellus Donatus*, (l. 2, hist. med. admir. c. 6) de dissecto apoplectico loquitur, cujus universa cerebri substantia, ventriculique, sero copioso inundati erant. — Simile loquitur *Daniel Horstius* (observ. anatom. 3) de cerebro principis, apoplexiâ extincti, cujus cerebrum amplum, copioso sero diffusum inventum est, vasaque cerebri, sanguine nigrissimo turgida observabantur. Narrat *Georgius Bauhinus* (de observ. propriis) juvenis, lutetiæ apoplexiâ extincti, illicò caput apertum fuisse, ex eoque quamplurimum sanguinem atrum, atramenti instar effluxisse. — Refert *Ettmuller Lindanum* dissecuisse, Amstelodami, caput hominis qui à triennio, multùm doluerat in hac parte, invenisseque ventriculos cerebri limpido sero plenos, ad quantitatem ferè duorum sextariorum. — *Willisius* (cerebr. anatom.) fatetur se sæpiùs vidisse in capite, recens post mortem aperto, piam matrem, vesicæ instar distentam, ac pellucèntem, ut aqua plurima, subtùs inclusa, eadem intumescere videretur, quod tamen omnino fieri compertum est à flatu membranam distendente.

XXXVIII. *Wepfer*, qui singulariter de apoplexia scripsit, dissecuisse se testatur trium apoplecticorum caput, invenisseque vasa cerebri tumida, sanguinemque effusum, variis in locis cranii, in aliis concretum, in alio liquidum. Statuit autem (nescio quâ ratione motus) loca principaliter affecta, non esse ventriculos, sed cerebri et cerebelli substantiam, ad basim cranii; factâque contemplatione divisionis variorum

ramorum carotidum , effectibus strangulationis apoplecticam mortem æquiparat. Loquitur de primario Aulæ ministro , cui subinde memoria delebatur , redintegrata postmodum ; postquam sæpiùs has alternationes passus esset , profundo sopore triginta horarum periit. Dempstâ calvariâ , effluxit magna copia aquæ , et cerebri anteriori parti adhærentes observabantur vesicæ , aquâ limpidâ distentatæ. Quod autem notandum est , de cephalalgia , vertigine , aut tinnitu aurium , nunquam fuerat conquestus. — In sene ann. 64 , homine plebeio , sed ingenioso , duro , et quotidiano labore victum quærente , circa meridiem , subitâ apoplexiâ mortuo , cùm , toto matutino tempore , idem fuerit in opere , et sermone , ac antè , invenit auctor serosam colluviem copiosam , inter duram et piam matrem , inter hanc et cerebrum , in ventriculis cerebri , et imprimis in quarto ventriculo , sub basim cerebri , et in theca vertebrarum. Habitus hujus senis fuerat cachecticus , et tumidus ; crapulosus ; sitibundus. Notat autem , sæpè se observasse inter duram et piam matrem serum copiosum , cum impetu prosilientem , dum pertunderetur dura mater , et totam cerebri et cerebelli superficiem , quasi gelatinâ quâdam obsitam. Ex ulcerum manantium et fonticulorum coalitu , ut ex coryzæ , pedum sudoris , catarrhaliumque affectuum suppressione ; ex retrocedentibus scabie , arthritide , et podagra , apoplexiam natam , se vidisse testatur , et præter liquida , varia etiam tumorum genera , steatomata , squirros , etc. in encephalo apoplexiâ demortuorum , aliquoties inventa fuisse.

Porro , tumores lymphaticos in brutis etiam se observasse profitetur idem clariss. *Wepfer* ; immò narrat frequentem contingere bobus vertiginem , apud subsilvanos in Helvetia , tuncque bubulcos mederi sequenti modo : malleolo , pone cornua cranium pulsant ; et ex sono audito distingunt , an præternaturale aliquod

cavum sub cranio adsit; quod dum suspicantur, statim locum quem pulsaverant, perterebrant, et per calamum foramini immissum, attracto spiritu, hujusmodi vesicas educunt; quæ si in superficie encephali extiterint, cura succedit; si verò profundius immersæ fuerint cerebri substantiæ, nihil sperant; unde præsens lanio, tunc illicò hæc animalia jugulat. Testatur quòd hoc experimentum coram viderit, et cum, pluribus hydatidibus, quarum multæ non erant minores nucem moschatâ, adductis, vertigo non cessaret, mactatum illicò fuit animal, et in ventriculis cerebri, præcipuè sinistro, plures similes hydatides invenit. (Vide Wepf. de apoplex.)

Ut opus edidit Wepferus, similes hydatidum in cerebro fuerunt multæ observationes. Legitur in Actis *Edinburgensibus*, sæpè inventos fuisse serosos tumores in cavo cranii apoplecticorum, qui tenui sub pellicula collectam lympham continebant; in his autem, dum viverent, dolor fixus in determinato capitis loco fuerat, eodem quo sub cranio, tumor serosus, avellanæ nucis magnitudinis, in dura matre inventus erat. Piam matrem in vesiculas limpidas, quam multas elevatam, habes in operibus celeb. *Schwenche*, et *Van-Swieten*, et in repertis ill. *Morgagni*, de quo infra.

XXXIX. *Baglivus*, medicorum memoriæ tradidit historiam apoplexiæ, mortis, et sectionis corporis, summi quondam anatomici *Malpighii*, ab ipso amico Baglivio institutæ, mense decembri, 1694. Marcellus Malpighius, ann. ætat. 66 circiter, postquam totâ vitâ, variis cruciatibus podagricis, calculosis, etc, obnoxius fuisset, apoplexiâ tandem corripitur, 25 julii, ann. 1694, præcedentibus curis, et variis animi passionibus, etc. Accessit apoplexiæ, paralysis totius dextri lateris, à qua tamen variorum remediorum usu, post 40 dies, liber quodammodo evadebat, relictis,

in memoria, et ratiocinio, læsione, ad lacrymandum, proclivitate, levibus vertiginum invasionibus, inappetentia, etc. Tandem, præcedentibus, exacerbatione calculosâ vesicæ, et gravissimis vertiginibus, etc. novo apoplexiæ insultu correptus, post quatuor ab invasione horas, è vita cessit. — Præter vitia in visceribus abdominis et pectoris, inventæ sunt in cavitate dextri ventriculi cerebri, duæ libræ circiter sanguinis nigri et grumosi, extravasati. In sinistro ventriculo, residebat aqua subflava, ad pondus sesquiunciæ, eique intermixtæ erant minimæ arenulæ, exiguâ quantitate; (hæc aqua causa verisimiliter fuerat hemiplexiæ præcedentis, lateris dextri). Vasa cerebri undequaque varicosa erant. Universa dura mater fortiter, ac præternaturaliter adhærebat cranio. *Baglivi oper. omnia, p. 681.*

XL. Præcellit autem omnibus immortale opus *Jo. Baptistæ Morgagni*, de causis et sedibus morborum per anatomen indagatis. Eximius hic autor, 62 corporum apoplecticorum, omnis ætatis et sexûs, sectiones collegit, ab illo ipso, et à *Valsava* institutas, optimisque ratiociniis adornatas. De hoc morbo disquisitiones divisit in, ad apoplexiam sanguineam, ad apoplexiam serosam, et ad mixtam, pertinentia. Epistola 2^{da}, 3^a, et aliarum promiscuè, multi numeri, agunt de prima specie: neque ex his, et sequentibus, breve compendium excerpere pigebit, cùm rebus bonis nimis affluere, ars nostra nunquam possit.

XLI. In epist. II. ad n^{um}. 9, describitur sectio cadaveris Cardinalis, temperamentis sanguinei, dum viveret, arthriticus, studiis et variis curis, mœoribusque occupatus, circa hiemale solstitium, apoplecticus mortuus, ann. 1714, postquam in sinistro latere, hemiplecticus antea fuisset. Observavit *Valsava*: cerebrum flaccidius; in sinistro laterali ventriculo, non multum seri; in dextro, uncias circiter

duas sanguinis coagulati; laceratum plexum choroideum, ventriculique dextri parietes, posteriora versus, corrosos, ad profundi ulceris similitudinem. — Pulsus, ab initio, frequens, magnus, et vehemens fuerat; naturalis, initio, respiratio. Venæ sectiones, secta etiam jugularis dextra, variaque alia remedia, vana. — Ad n^{um}. 11, etiam sinistra hemiplexia; concreti etiam sanguinis uncia circiter duo, in ventriculo dextro. — Ad n^{um}. 13, apoplexia lethalis, in 9 horas; ambo laterales cerebri ventriculi, fluido sanguine repleti; eorumque dexter, valdè erosus; choroideus plexus vix potuit observari, ob destructionem. Subjectum fuerat, mulier, 70 ann. nata, pallida. Respiratio naturalis permansit, usque ad mortem. — Ad n^{os}. 17 et 20, sanguis expansus in duobus ventriculis lateralibus. Cita mors. Nihilominus facies subjecti, n^o. 20, pallida semper fuerat. — Ad n^{os}. 21 et 22, sanguis etiam effusus in cerebello, et circa medullæ elongatæ truncum.

XLII. In principio epistolæ III, historia legitur mulieris corpulentæ, temperamenti sanguinei, natæ 55 ann., vino deditæ, sat prompto apoplectico insultu extinctæ. Sanguis effusus inter meninges et cerebrum, in ventriculis lateralibus, in cerebello, et usque in spinali tubo, cum ampla multarum partium erosione; labes etiam antiquæ, in pectore et abdomine. — Ad n^{um}. 4, in cranio bajuli vegeti, 40 ann. nati, sanguis effusus; in pectore et abdomine, labes antiquæ. — Ad n^{um}. 6, cerebrum mulieris quadragenariæ, bibulæ, tanquam sanguine injectum; sanguis effusus in ventriculis lateralibus; cerebri hemisphæria perfossa cavernulis sanguine plenis; hydatides, et granula, in plexu choroideo. — Ad n^{um}. 11, sanguis effusus in ventriculis; vesiculæ aquâ plenæ, magnitudinis uvæ acinorum, plexus choroideos occupantes. Subjectum fuerat vir, 73 ann., plethoricus, meri cultor, sub sole, per

diem vivens. Ne dum huic succurrerint venæ sectio , et vomitus instituti , ut è contra , cùm antea loquebam nondum amisisset , illam medicatus amiserit , et stertens , et convulsus , brevi moriretur. — Ad n^{um}. 15 , idem. Hic multùm edere , et nihil moveri , erat solitus. — Ad n^{os}. 16 et 20 , idem , et os in falce. — Ad n^{um}. 24 , historia pueri Bononiensis , 14 ann. nati , à lumbricis vexari soliti , qui post magnam alacritatem , derepentè apoplecticus mortuus est. Secto cranio , sanguis effusus inveniebatur sub cerebello. Ad n^{um}. 26 , nullus effusus sanguis , sed omnia vasa cerebri summoperè distenta observantur. Lautè vivere solitum fuerat hujus sectionis subjectum. Cœnatus plenè , citiùs quàm mos erat , decubuerat , supino corporis situ , quo manè apoplexiâ extinctus inventus erat.

XLIII. In epistola LI , leguntur : ad n^{um}. 37 femina è scala præceps , in terram cadit , et brevè apoplectica moritur. Inveniuntur duo circiter uncix sanguinis coagulati inter crassam meningem , et os petrosum. Sana reliqua. Ad n^{um}. 59 , acuto ense juvenis sauciatus , circa inferiorem marginem orbitæ oculi sinistri , brevè moritur ; sanguis , parvâ quantitate , effusus reperitur in ventriculis cerebri. Similia in epistola LII. leguntur.

XLIV. In epistola LX , ad n^{um}. 2 , docemur , in cranio senis apoplexiâ sublatis , observata fuisse , laxissimam omnem medullarem substantiam , atque cerebri hemisphærium dextrum à vasis turgidis subnigrum , perforatumque caveis , quarum una longa , digitos transversos , ad minimum quinque , lata duos et semi , totidemque profunda , sanguine nigro , magna ex parte , fluido , plena. — Ad n^{um}. 4 , est exemplum hæmorrhagiæ per totam cerebri substantiam , et in vertebrali tubo. — Ad n^{um}. 6 , mulier , 85 ann. nata , bis apoplectica , tandem , tertiâ vice , succumbit. Demonstrat sectio serum sanguinolentum ventriculos

implere; et caveas grumoso sanguine plenas, in dextro cerebelli lobo. — Ad n^{um}. 8, viator, ann. circiter 40, lassus, in nosocomio Patavino recipitur, et cum sedens cibum sumeret, repentinâ forti apoplexiâ exstinguitur. Nullus effusus sanguis in cranio invenitur, sed observantur summè distenta vasa meningum, serum in ventriculis, atque hydatides multæ in plexibus choroidibus; cæterum, in pectore, cor parvum, et formæ obsoletæ. — Ad n^{os}. 10 et 12, nulla effusio sanguinis in calvaria apoplecticorum, sed distenta summè erant vasa; ossei arteriarum trunci, et variæ laves in pectoris et abdominis visceribus. In epistola LXII, ad n^{os} 7, 9 et 11, sunt adhuc exempla fortis apoplexiæ, et hemorrhagiæ diffusæ, per striata corpora, et vicinos thalamos nervorum opticorum, cum caveis in substantia medullari, sanguine plenis.

XLV. Nunc ad apoplexiam, ab illustri auctore, et aliis, seroso nomine nuncupatam, sermonem transferentes, nobis sese offert in hujusdem epistola IV, ad n^{um} 1, historia *Valerii Zanini*, cujus pater, apoplexiâ quoque, et patruus, vesicæ calculo, abrepti fuerant. Ipse etiam calculosus, et ideò bis ferens hæreditariam labem, quâ derepentè extinctus est. Secto corpore, observantur: viscera abdominis morbosa; in ventriculis cerebri, serum, sed paucâ quantitate. — Ad n^{os}. 3 et 4, idem. Erant quoque hi cachectici, et flante austro, ut Zaninus, apoplexiâ correpti fuerant. — Ad n^{os}. 6, 7 et 8, idem. Cachectici; pallidi; subflavi. Ulcera in tibiis pertulerant. Serum salsum in ventriculis. Sanguis fluidus. Flaccidum cerebrum, flaccida viscera. — Ad n^{um}. 9, idem. Multum serum in ventriculis cerebri; multa urina in vesica. Subjectum observationis est mulier cachectica, quæ se reficere videbatur ex diuturno morbo; sed supererant sitis magnâ, et facies cadaverosa, unde ex improviseo extincta est. — Ad n^{um}. 11, historia septuagenarii, pallidi,

lidi , tremētis , virium languori obnoxii , subitâ apoplexiâ extincti Bononiæ , flante austro , primis 15 diebus mensis Maii , 1704 , quo multi alii Bononienses improvisâ quoque sublatis sunt apoplexiâ . Cerebrum flaccidum , mollissimum ; plexus choroidei turgidis vesiculis obsiti ; serum paucillum in ventriculis . — Ad n^{um}. 13 , apoplexia quam mixtam nominat auctor , quòd rubram faciem in insultu habuisset . Parum seri in ventriculis ; cerebri vasa sanguine turgida . Labem æger hic in visceribus abdominis tulerat , hypochondriacisque affectibus , dum viveret , multum obnoxius fuerat . — Ad n^{os}. 16 et 19 , serum in ventriculis , et quoque cachectica viscerum abdominalium compages ; cæterum , consanguinea ad apoplexiam dispositio . — Ad n^{um}. 21 , historia sacerdotis anxii , gravibus quas dissimulabat curis oppressi , sobrii ; mense Maio , aere calido et sicco , repentinâ apoplexiâ extincti . Serum in ventriculis ; polypus in corde et magnis vasis , quem tamen iudicat *Morgagni* , non in causam apoplexiæ censi debere , eò quòd rarò polypos invenerit in corpore apoplecticorum . — Ad n^{os}. 24 , 26 et 28 , historiæ ægrorum cachecticorum , multis ærumniis afflictorum , quos scorbuticâ labe , ante apoplexiam , vexatos fuisse arbitror , à symptomatibus descriptis . Gelatina inter cerebrum et meningem , serum salsum in ventriculis ; sanguis fluidus ; viscera flaccida . — Ad n^{um}. 30 , senex cachecticus , qui in tibiis habuerat ulcera , intempestivè sanata . Serum in ventriculis , viscera morbida . Ad n^{um}. 35 , senem cui fuerant etiam ulcera in tibiis ; cachexia universalis ; cerebrum laxum ; aqua copiosa in ventriculis ; vesiculæ numerosæ in plexu choroideo . In epistola XLVII , ad n^{um}. 24 , historia apoplecticæ , 75 ann. natæ ; labe summa in visceribus abdominis , et utero ; serum flavum in ventriculis .

XLVI. Ad eandem apoplexiæ speciem referri pos-

sunt varia alia *Morgagnii* observata , passim in aliis Anatomicis epistolis disseminata : sic , in epist. XI. ad n^{um}. 6 , historia legitur calculosi , qui , post magnos dolores toleratos , apoplexiâ extinguitur. Serum paucum in ventriculis cerebri. — Ad n^{os}. 13 et 15 , quid simile , et numerosæ vesiculæ turgidæ , in plexibus choroideis. — In epist. XXXV. ad n^{um}. 6 , historia apoplexiæ repentinæ , à colica periodica. In abdomine , intestinum ileon nigricans , in septem aut octo locis , cum glandulis , ciceris magnitudine ; in ventriculis cerebri , serum non paucum. — In epist. LVI. ad n^{um}. 12 , anus , 80 ann. nata , primùm soporosa , inde apoplectica. Serum in ventriculis. Omnia corrupta in abdomine , ab urina retenta. Mortuam , dixit *Morgagni* , tam ex soporoso affectu , quàm ex enormi distenta resoluta vesica ; cum assidentes mulieres stillicidio deceptæ , tantùm lotii exire , quantum jugiter in vesicam descenderet , arbitrarentur. — In epist. LVII. ad n^{um}. 2 , mulier , ischiaticâ arthritide vexata , primùm paralysi corripitur , deinde , repentinâ apoplexiâ. Serum in ventriculis. — Ad n^{um}. 14 , anus pariter arthritica. Magna pars hemisphærii cerebri dextri , coloris sanguinei , fuscis , mollis , et diffluens ; laxius etiam reliquum cerebrum et cerebellum. — In epist. I. ad n^{um}. 4 , historia viri , ann. circiter 40 nati , obnoxii doloribus periodicis in hypochondrio dextro , quæ vomitioni et delirio locum aliquoties dabant , et à quibus præsentibus , dum ebrius esset , empiricâ ventris unctione quodammodo liberatur. Illicò , calor et dolor capitis , delirium , convulsivi motus , et subinde insultus apoplecticus , cum difficili respiratione , spuma circa os , et impetuoso ac turgido motu , quibus , et cum facie pallida , extinguitur , irritis omnibus auxiliis. Serum inter meningem tenuem et cerebrum , in hujusque ventriculis. In abdomine , hepar durum , et quædam copia seri stagnantis.

XLVII. Ad tertium genus apoplexiæ, scilicet, nec sanguineæ, nec serosæ, sequentes refert clariss. auctor, casus, qui purulento humori, et aeri comprimenti originem suam debent. In epist. V. ad n^{um}. 2, sectio apoplectici ostendit pus, et abcessum in cerebro. — Ad n^{um}. 4, pus quoque in cerebro, absque abcessu. Æger diu tulerat crus cancroso tumore ulceratum; membrum postea fuerat amputatum, sed superstes erat diathesis cancrosa, quæ metastasim fecerat ad cerebrum. — Ad n^{um}. 6, apostema in cerebro, ejusque vasa quasi injecta; vesiculæ turgidæ in plexu choroideo; inflammata et penè gangrenosa imi ventris viscera. An non etiam hic metastasis? — Ad n^{um}. 11, sanies in tenui meninge; aqua gelatinosa subter hanc membranam, quæ vertebrali tubo exitum petebat; sanguis fluidus; cor molle. — Ad n^{um}. 17, nigrita, annos ad triginta natus, bene valens, nisi quòd ultimis vitæ mensibus, factus erat obnoxius languori cuidam ventriculi, levi cum sudore conjuncto, qui tamen languor cibo sumpto, illicò tollebatur, cum amicis hilariter versans, jentaculo, canensque, lentè retrorsum cadit, cum tremore totius corporis, punctoque temporis moritur. Secto cadavere, duodecimâ à morte horâ, observantur: in abdomine, et pectore, varia morbosa dispositio; in cerebro, aqua sub tenui meninge, et in lateralibus ventriculis; vasa et sinus, inania potiùs quam plena; vasa reptantia, per superiorem cerebri superficiem, corpus callosum, medullamque oblungatam, ab incluso aere, cum pauco sero intermixto, distenta. Sanguis ubique fluidus. — Ad n^{um}. 19, piscator quadragenarius, procerus, herniosus, ventris affectionibus flatulentis obnoxius, cum repentè hisce sua in navicula correptus esset, illicò ibi mortuus est. Omnium viscerum status morbosus; omnia corporis vasa, omnes cavitates, aere abnorme distenta; in cerebro, vasa turgida sanguine spumoso;

aer ubique; cavea in initio spinalis medullæ, amplissima; plarimæ vesiculæ in plexu choroideo; sanguis fluidus, niger; pus, ceu ex rupto abcessu, è posterioribus nasi foraminibus, in pharingem defluens, mediocri copiâ; prompta cadaveris putrefactio.

Arbitratur *Morgagni* posse aerem, suâ vi comprimente, apoplexiam producere, quod probat, et experimentis in animalibus institutis, et auctoritate *Hippocratis*, dicentis, *libro de flatibus* « si quidem » plurimi flatus per universum corpus discurrant, totus homo sideratur; si per partem, pars illa percutitur, etc. * » Probat tandem observatis *Pechlini*, *Henrici Gretzii*, *Ruischii*, *Redii*, *Brunneri*, et si vis addere, *Willisii* (XXXVII), etc. Ego autem, pace tantorum virorum, dicam, posse equidem aerem, suâ vi compressivâ, apoplexiam producere, si liber in cranio fiat; id verò per vitam minimè accidere posse, nisi solutis affinitatis legibus, scilicet putredine incipiente; verisimilius igitur esse, nigritam, piscatorem, et similes, in mortem subitanam à diuturna cachexia adductos esse, quæ fluidorum elasticorum extricationi, paulò ante mortem locum dedit.

XLVIII. Narrationi jam nimis forsitan fastidiosæ, finem imponere tamen nequeo, quin quædam celeberr. *De Haen* et *Stoll*, meaque aliqua propria observata subjungam. *De Haen*, *rat. medendi*, t. 1, p. 323 et seq. sequentia habet.

Femina, 102 ann. habita, autumno febrim continuam passa erat, hieme, diarrhæam. Aptis restituta medelis, viribus tamen sensim defecit, ut lectulo perpetuò affixa, cardiacis semper fovenda esset. Brevi ante mortem,

* Ἡ μὲν οὖν πολλαὶ φύσαι ἐν ὅλῳ τῷ σώματι διατρέχουσιν, ὅλος ὁ ἄνθρωπος ἀπόπληκτος γένηται. ἢ δὲ ἐν μέρει τινὶ, τοῦτο τὸ μέρος.

En, inquit, morior; sumto autem cardiaco, Gaudeo, ait, denuò me recolligo; simulque desiit vivere, die 15 aprilis, 1756. — Musculi carnosi, ut in ætate mediâ; egregia omnia viscera thoracis et abdominis; at, intra cranium, cruor ater invenitur, spissus, effusus sub pia matre, ad lobum posteriorem sinistram, ita quidem ut cavum, pollicem capiens, in hoc lobo expleret.

Senex bibulus in ipsa ebrietate, apoplexiâ extinguitur. Sexto cranio, aneurismatica inveniuntur et varicosa, omnia vasa piæ matris, cerebri et cerebelli. In sinistro ventriculo anteriori, sanguinis grumosi est commune cochlear; in dextro paulò minùs.

Sartor, 55 ann. natus, die 9 August. 1757, terrore, mœrore, gravique irâ correptus, cubitum sanus petit. 10^o. August. evigilans, deprehendit se toto latere dextro, tumidum, ac paralyticum; ope venæ sectionis, aliorumque remediorum, et aquarum mineralium Badensium, quid boni experitur. Ad machinam electricam admotus, electricitatis repetitæ vi, in Junio mense, 1758, meliùs adhuc se habebat. At nonâ hujus mensis die, dum electrisaretur, extemplò de magna præcordiorum anxietate conqueritur, et intra quadrihorium, incassùm adhibitis, venæ sectione, enematis, vesicantibus, apoplecticis expiravit. — Aperto cranio, inveniuntur: adhærens dura mater cum cranio, et aliis membranis, atque varicosissima; multa lympa subrubella et splendens, tum copiosus et grumosus sanguis, inter omnes medullæ giros, in ventriculis anterioribus, et in quarto ventriculo.

Puella, sex cum dimidio ann. nata, quæ jugi cephalæâ laboraverat, fit stupida, nonnihil et obliviosa, demùm apoplectica, cum convulso dextro brachio, et intra quatuor dies moritur. — Observantur in sectione anatomica: pia meninx varicosissima; concretio polyposa in toto sinu longitudinali; in ventriculo

dextro , unciaë duæ , aquæ limpidissimæ , inodoræ , igni non coagulabilis , sirupi violarum colorem minimè mutantis ; aqua in fundo cerebri , ad usque foramen magnum ossis occipitis. Cæterùm , in pectore , omnia viscera , coagulata.

XLIX. *Stoll* sequentia descripsit : vidua , 74. ann. nata , obesa , colorata , vegetaque , die 12^a. mensis augusti , anno 1776 , post amplam cœnam , sana , et hilaris lectum petit. Per noctem , vomit , muta que , et hemiplectica , in latere dextro , manè diei sequentis invenitur. Venæ sectio in pede sinistro instituitur , applicanturque tria vesicantia. Quartâ die obiit. In cranio dissecto observantur : multum serum inter duram et piam matrem ; vasa hemisphærii sinistri , sanguine turgida ; serum in ventriculis lateralibus ; laxior quàm par est cerebri substantia ; ossificatæ plures partes vasorum cerebri ; hæc vasa , in latere sinistro , carotis scilicet et vertebralis , ampliora , et magis ossificata quàm in latere dextro. — Dispositio ergo erat ad apoplexiam , quam provocasse tam à vomitu , autumat author , quamque refert ad apoplexias sanguineas , serum effusum , à distentis vasis productum fuisse judicans. (*Ratio medend. t. 1 , Sectio XI^a.*)

In sectione cadaverum apoplexiâ denatorum , à colica saturnina , dilatata ad summum , et sanguine turgida , observavit vasa cerebri. Notat autem id non fuisse nec ab inflammatione , neque ab exuberante vi , cum sit in hac colica magna debilitas. (*tom. 2 , descriptio colic. pictor.*)

Tres ægotantes ab hydrope plethorâ sanguineâ producto (cujus quoque exempla vidi) , cùm jam ab aquis liberari viderentur , apoplectici moriuntur. Secto cranio , observantur : vasa cerebri ampliora , et plurimo sanguine distenta ; serum effusum inter duram et piam matrem. (*t. 3 , digress. de hydrop. plethor.*)

Vir à 14 diebus, febrî rheumaticâ correptus, fit de-
 repentè delirans, indè apoplecticus, et brevî moritur.
 Reperiuntur, secto cranio, aquosus humor effusus
 magnâ quantitate, inter meninges et in ventriculis la-
 teralibus; humorque aquosus sanguinolentus, subter
 cerebri tentorium. (*Ibid. constit. med. mens. Sep-
 tembris 1778*).

L. Quædam nostræ: anno 1794, sæviente febre
 putridâ, in nosocomiis militaribus Massiliarum, ju-
 venis miles, ex hac febre, à quindecim diebus conva-
 lescent, ita ut tamen lectum adhuc non desierit,
 alimentorumque partem integram nondum consumere
 valeret, summo manè, derepentè in lecto exsilit,
 cantilenam incipit, inde cadit, absque sensu et motu,
 brevîque moritur. Secto cadavere, laxa omnia viscera
 observantur, ut et sanguis fluidus, absque tamen his
 maculis gangrænosis, quas in aliis, ab hoc morbo
 denatis, continuò videram: at, cranio aperto, cum
 effuso multo sero, cerebrum adeò laxum, ut liquidum
 appareret, se in conspectum dedit.

Mense Februar. ann. 1796, mendicus corpulentus,
 ann. circiter, 60, fertur ex platea ubi apoplecticus
 ceciderat, in nosocomium civile supradictæ civita-
 tis. Erat absque sensu et motu; cum respiratione ster-
 torosa, ore spumoso, pulsu magno, frequenti, ine-
 quali, vultu plumbeo. Moritur inter tres aut quatuor
 horas, irritis, amplâ venæ sectione, clysmate acri, et
 variis excitantibus. Secto cadavere, post 12^{am}. à morte
 horam, mihi in conspectum venierunt: ventriculus
 distentus, vinosa quædam alimenta adhuc continens;
 hepar, atque lien, ferè squirrosa; in calvaria, om-
 nia vasa cerebri sanguine distenta; ventriculos latera-
 les, sanguine inundatos; caveam amplam, sanguine
 concreto plenam, in lobo cerebri dextro.

Femina, 65 circiter ann. nata, pluries levibus
 apoplexiæ insultibus vexata, quorum ultimus tamen

hemiplecticam illam fecerat, propter quod nosocomium petere debuerat, tandem fortissimâ apoplexiâ, post cœnam magnâ appetentiâ habitam, intra horam extinguitur. Secto cranio, eandem hæmorrhagiam, eandem caveam, in lobo posteriori hemisphæri dextri, ut supra, mihi licuit observare. Confers etiam de his, si ampliora desideras, opera Anatomix pathologicæ D. Profess. *Portal*.

LI. Nascuntur ex his numerosis factis, variæ et indubitatae consecutiones, tam ad intelligendam naturam morbi, quàm ad ejus rectam therapeiam, utilissimæ.

1^a. Ferè semper diurnam cerebri debilitatem antecessisse, quæ, hujus visceris inventâ mollitie et flacciditate, comprobatur; cum non potuerit hic habitus extemplò, morbo et morte produci: undè ad *asthenicas* ægriitudines, potiùs quàm ad *sthenicas*, plerasque apoplexias pertinere, conjectare liceat.

2^a. Utique esse, in omni apoplexia, veram cerebri compressionem, vel ab effuso humore factam (sit sanguis, serum, vel pus), vel ab enorme, distentis vasis sanguiferis, aut lymphaticis cerebri, sanguine, sero, lympa, aere.

3^a. Aleæ plenam esse omnem apoplexiam, sed imprimis, illam quæ oritur à sanguinis hæmorrhagia, et potissimùm ubi sanguis effunditur his in cerebri regionibus, ubi sedent *corpora striata, thalami* nervorum opticomum, aliæque *protuberantiæ*, unde originem trahit medulla oblungata, quæ ipsa est origo, vel terminus, omnium corporis nervorum (vide nostram *Physiolog.* n. 313, et seq.), imprimis etiam, ubi, vel in puncto, impeditur hæc medulla, in suo trajectu, usque ad magnum foramen occipitale.

4^a. Non aptè distingui apoplexiæ speciem, quoad inductiones ad praxim, à natura inventi humoris effusi in cerebro, deberique habitus corporis rationem ha-

bere , priusquam à sola autopsia , in medium afferre , fuisse sanguineam , aut serosam apoplexiam ; cùm videamus in multis corporibus , dum viverent , languentibus , coloreque pallido , effusum post mortem , sanguinem ; è contra , serum , in corporibus quæ vegeta fuerant ; cumque aliàs , dilatata , et turgida utique cerebri vasa , serumque ex his effusum , plethoricam corporis constitutionem comitata sint , aliàs verò , debilem , et exsanguem .

5°. Non in uno capite petendam esse omnium apoplexiarum originem , sed in motibus fluxionariis maximam vim esse , ad illas producendas . Tot casuum quos descripsimus , tertia saltem quarta pars prodromos habuit , abdominis et pectoris morbos , dolores , motus spasmodicos , affectus hystericos , vel hypochondriacos . Confirmatam ergò habemus , clariss. *Friderici Hoffmanni* sententiam , multoties à spasms viscerum thoracis , aut abdominis , et à doloribus atrocibus harum regionum , nasci apoplexiam ; sive quòd sanguinis et aliorum humorum motus , largiùs ad cerebrum dirigatur , sive quòd à topico remedio , dolor locum deserat , et metastaticè ad caput feratur ; ut sæpè in podagra evenit , quando impatientes ægri , empiricis unctionibus , dolorem sedare tentant . Felices equidem , ubi dolor à dolore resarcitur ! tunc enim , nondum in intima cerebri substantia , lethalis causa locatur , illa enim non dolet , sed dolent nervi , partesque nervosæ ; ubi verò morbosè afficitur , insensibili torpore agnoscitur . De præcedentibus apoplexiam variis nervicis symptomatibus , quotidiana sunt exempla , et nuperrimè adhuc rusticam vidimus quinquagenariam , gravioribus affectibus hystericis obnoxiam , quæ in itinere , à rure ad urbem , flante subfrigido vento , à passione prehensa , cum sedere voluisset , insultu apoplectico immedicabili , citò è vivis sublata est .

6°. Cachecticam , corruptamque , ut ita dicam , solidorum , fluidorumque compaginem , et indolem , apoplexiæ , seroso nomine nuncupatæ , occasionem sæpissimè præbere , seu flaccidis factis , thoracis , et abdominis visceribus , ipsoque cerebro ; seu impeditâ boni sanguinis fabricâ , turgenteque in vasis serosâ , acri , colluvie , quæ ab exhalantibus , undique effunditur ; sive metastasi factâ in cerebrum puris , vel seri , aliundè advenientis. A simili cachectica labe , verbi gratiâ , derivasse reor , militis nostri (L) , apoplexiam.

LII. Septima anatomicarum sectionum consecutio est ; in omnibus fermè apoplexia sanguinea denatis , inveniri caveas sanguine plenas , antiquæ formationis speciem referentes , illasque frequentiores , in hemisphærio cerebri dextro. Cavernas has comparat ill. *Morgagni* , aneurismaticis , vel varicosis dilatationibus , à precentique leviori insultu apoplectico productas illas judicat ; tumque ipsarum primam formationem , ad novam apoplexiam , convenienti causâ suscitatum , præparare. Equidem testantibus ipso *Morgagnio* , *Valsava* , *Wepfero* , *Brunnero* , aliisque , sæpè in cerebro observatæ sunt cicatrices sat profundæ , quæ ulcus , et subsecutam hæmorrhagiam fuisse quondam designabant , vitâ tamen diu superstite. Confirmant autem hæc observata , esse quoque in cerebro systema absorbentium vasorum , quibus sat citò , sanguis aliaque liquida effusa , resumuntur , vigentibus viribus.

LIII. Item , fræquens observatio vesicularum , hydatidum , granulationumque , plexus choroideos , aliasque cerebri partes obsidentium , octavam sequentem inducit consequentiam : quid glandulosi habere cerebrum , lymphaticisque vasis , forsan copiosissimis , instructum esse ; cum in reliquo corpore , hydatidico modo , turgere videantur lymphatica , quoties humo-

ris motus impeditur ; non improbable igitur esse , nasci aliquoties etiam posse apoplexiam , ab uno plethorico lymphæ systemate ; sit hæc plethora universa , vel localis , et suscitata ab imi ventris affectibus , ut in pueris aliquoties solet evenire ; ideòque ad hanc causam , in puerorum , et omnium pituitosorum ægrotantium , comatosi affectibus , attendendum esse.

LIV. Nona demùm consequentia est : in omnium fermè apoplecticorum exemplis membrorum resolutionem fuisse in latere opposito parti cerebri , in qua effusi inveniebantur humores , cecidisseque semper ægros , in hoc latus. Tam sæpiùs hoc observaverant *Valsalva* et *Morgagni* , ut prædicere non dubitarent , ante sectionem , quo in cerebri hemisphærio , labes inveniretur. Refert *Morgagni* , in epist. LI , ad n^{um}. 30 , casum abcessûs in cerebro , ab ictu ; æger autem nondùm apoplecticus , in talem morbum incidit , dùm se à dextro , in sinistrum converteret latus. Sectio patefecit abcessum in hemisphærio dextro , cum quo æger adhuc vivere potuisset , si schema jacendi non mutasset , et à quo extinctus est , cùm fecerit ut quoque partem sinistram , abcessus comprimeret. Similia exempla , et similes eventus vidi , quæ cognitâ decussatione nervorum , facilè explicantur , quæque legitimam esse praxim ostendunt , in qua venæ sectio , aliaque deplentia instituuntur , non in latere paralytico , sed in latere , specie sano.

LV. Non desunt oppositæ , causæ quam diximus , proximæ apoplexiæ , sæpè non majorem seri copiam reperiri in ventriculis cerebri apoplecticorum , quàm communiter in , ab alio morbo , extinctis ; malè igitur ab effuso sero , repeti apoplexiæ causam. Certè quidem , major exstat , in hydrocephalo , aquæ copia , quanquam non resolutione promptâ ægri rapiantur : secuerat *Vesalius* corpus puellæ , bienni hydrocephalo affectæ , quæ ad mortem usque , sensibus omnibus in-

tegris usa erat, laxis tantum, infirmisque, sed non resolutis articulis, in cujus cranio, novem ferè aquæ libras se inveniisse testatur. Sat magna quoque aquæ quantitas observatur in hoc morbo puerorum, quem cerebri acutum hydropem nominare voluerunt neoterici, cum quo perplures adhuc septimanas, alacres vivunt, febrientes, et soporosi, tantum in ultimis diebus. Secui, hieme, anni 1800, in theatro anatomico nosocomii Massiliensis, pro lectione publica, cerebrum mulieris, 72 ann. natæ, de qua aliàs locutus sum, quod tanto sero irrigabatur, ut tanquam alvus ex secta medulla oblungata flueret, potuissemque auditoribus cavitatem, in septo lucido demonstrare, ob disjunctas ab invicem laminas, à sero; cum totum, cætera, cerebrum esset solidissimum. Hæc autem non ex apoplexia, sed ex acuto pectoris morbo mortua fuerat. Vidimus (XXIX), catalepsim seri effusione etiam sociari; et legere est apud *Morgagni*, epistolis VI et VII, quòd in omnibus affectibus soporosis, et etiam in phrenitide, paraphrenitide, et post omne delirium, observatos fuisse, in cadaveris autopsia, humore seroso repletos cerebri ventriculos, et sæpè quidem majori copiâ, quàm post apoplexiam: quod pariter testantur, *Varolus*, *Sylvius*, *Cheselden*, aliique.

LVI. Me non movent hæc difficultates, ut non moverunt *Morgagni*, illisque respondeo cum illustri hoc auctore: 1^o. minus detrimentum pati corpus animalium, in detractioe, vel in additione fluidorum et solidorum, quæ paulatim, et per partes fiunt, quàm si repentè ac simul, à minori incommodo afficiatur; hanc igitur esse differentiam inter hydrocephalum, diurnosque morbos soporosos, et apoplexiam, quòd in his, sensim sensimque accumulatur humor, cui ferè assuefactæ fiunt membranæ cerebri, dum è contra in illa, derepentè teneram medullam opprimat insuetus

effusus humor. 2^{do}. Hydropem cerebri, sive chronicum sive acutum, tum et aliàs soporosas affectiones, semper tandem apoplexiâ terminari; ruptis nempe membranis serum effusum sustentantibus, quod, absorbentium viribus exhaustis, exhalantibusque semper suppeditatum, nimis ponderosum factum fuerat: rectè nempe animadvertunt *Sennertus*, et *Boerrhaave*, dicentes, primus: apoplexiam in propinquo esse, si carus adeo invalescit, ut respiratio lædatur; et secundus: carum esse apoplexiam levem, lethargum autem levioris apoplexiæ speciem. 3^o. Quoad aquam quæ invenitur in cerebro illorum qui phrenitide, vel paraphrenitide extincti sunt, scire licet, hos semper in agonia, soporosos et apoplecticos fieri; eundemque esse acutissimæ peripneumonix terminum; arctatâ scilicet, et ferè impeditâ pulmonali circulatione, distendantur venæ cerebri, undè effusum serum, cujus absorptioni locus non ampliùs datur, his ultimis vitæ instantibus.

LVII. Animadvertit quoque *Morgagni*, non esse à similitudine alienum, à sero vel paucò, modò irritans sit, salsus et acris, fieri posse apoplexiam, convulsione videlicet, et quod consequitur, constrictione meatuum cerebri, illam constrictionem excipientis; itaque, posse serum acre, tum dolorem capitis producere, tum apoplexiam, pro varia copia et acrimonia. Dixerat enim *Hippocrates*, libro *de glandulis*: impossibile esse cerebrum non convelli, dum ab illa materia acri irritatur; apoplexiam fieri, siquidem cerebrum rodatur, et distrahatur totus homo, mensque desipiat. *Martianus* hujus interpretis subjungit: non esse inconvenientem unum eundemque humorem, modò apoplexiam, modò epilepsiam inducere, quando quotidie observatur epilepticorum plerosque, à superveniente apoplexia è medio tolli. Serum hoc effusum quandoque degustaverunt *Valsalva* et *Morgagni*,

testanturque , acre , et salsum , se non rarò hoc judicasse ; quod quidem credibile est , cùm ferè omnia hæc corpora cachectica fuissent , tiliarum ulceribus impropere sanatis , arthriticæ diathesi , variisque aliis morbis obnoxia.

A retropulso levi dolore rheumatico , paralytim alicujus membri , quotidie mihi licet observare ; quin , in numero ægotantium quibus medeo , in Martigiorum nosocomio , est sutor , natus 60 ann. , gracilis , alacris , et miseræ sortis contentus , qui decem ab hinc annis , sudorem copiosum pedum , cui obnoxius erat , inepto animo , suppressit : brevi , levi apoplexiâ correptus , cecidit , et se recolligit , in latere sinistro hemiplecticus ; successu temporis , paulisper redierunt sensus et motus in brachio , cum tamen digitorum contorsione : at , verisimiliter , descendente humore in vertebralem tubum , usque ad sacrum , resoluta fiunt membra abdominalia , ut nequidem sedere in lecto miser possit. — Quòd si suppressus sudor in homine cæterum vegeto , tot mala producere potens fuerit , quid non humores à diuturnis ægritudinibus alterati ? Quid non ichor , à diuturno ulcere , in corpore cachectico , metastaticè ad originem nervorum delatus ? — Quamquam ergò facta , constanti modo , à tam multis , et egregiis observata , explicatione non egeant , habes nihilominus objectionibus responsionem , vel in numero præcedenti , vel in hoc ; salvâ tamen cautione , cerebri convulsionem , et constrictionem , non ut quid comprobatum , sed ut hypotheticum adhuc , et conjecturale , intuendi.

LVIII. An alia est apoplexiæ causa proxima , sensibus non obvia ? Passim apud quosdam auctores legitur causam mortis ignotam fuisse. Mos invaluit plurimarum ægritudinum , *concentrationes* nerveæ potentia , coarguere , atque ideò , à contentionibus animi , aliquas apoplexias deducere. Quæque sint verborum

efficacia atque mutatio , certum est , ut quotidianâ observatione comperitur , sæpè organum adeò aliis præcellere , ut omnium vitæ maximam partem ad se attrahere videatur : hoc fit , in statu sano , à frequentiori organi usu , vel à congenita dispositione ; in statu morboſo , ab irritata parte , hujusque post mortem , semper observantur vestigia. At ego , cùm quoque apoplexiæ nerveæ metaphysicam imaginem olim habuerim , summè miratus sum , semper in omnibus tot , de cerebro apoplecticorum , omnis conditionis , investigationibus , materialem comprimentem causam , in conspectum venire ; undè fictam omnem aliam judicavi. Reipsa , nervi , sicut voluntas , suapte naturâ , nulla queunt ; sed queunt per instrumenta , quæ sunt , vasa , muscoli , cæteræque partes quibus præsent. Vanam itaque dico distinctionem morborum *cum materia* et *absque materia* , et teneo , in ipsis morbis , vagâ et insciâ voce , nerveis dictis , malum non in nervis esse , sed in instrumentis. Re , itaque , attentius perpensâ , ad effectus spasmodicarum passionum (LI) , apoplexiam nerveam dictam , revocandam censeo , et etiam apoplexias febris periodicæ comites , ut fusiùs de his , alio loco.

Videndum autem , ne cum apoplectico obitu , confundantur necesse ab ictu fulminis , à maxima lassitudine , ab exhaustis omninò viribus , quomodocumque id fiat , à septicis subtilissimis venenis , etc. Sæpè enim , his in casibus , nihil notabile in cadavere inventum est : at non pertinent hæc ad apoplexiam , quæ morbus sui generis est , signis propriis , antè , dùm , et post , distinctus.

CAPUT IV.

Apoplexiæ, probabiliores causæ remotæ, et occasionales.

LIX. **A** remotissimis temporibus cognitam videmus apoplexiam; frequentem hujus *Hippocrates* mentionem facit, et jam à magistris descriptam, probabiliter ipsam acceperat, cùm confiteatur antiquissimam medicinam esse, et filiam observationis, atque experientiæ. Ferè autem populariter etiam, ut alii morbi, aliquoties grassavit, ita ut, jam advertente *Morgagni*, quod nostris accidit temporibus, idem aliis quoque acciderit, modò post breviora, modò post longiora intervalla, ut tempestatum, regionum, victûs consuetudinis, rerumque humanarum fortunæ, natura tulit. Nostrum igitur, in hoc capite, erit propositum, quædam, primo loco, pro viribus, de temporibus quibus frequens visa est apoplexia, exponere, inde, inter auctorum sententias, et res quibus vivimus, evolvere, quid frequentiùs tanto morbo, occasionem præbuerit.

LX. Noscimus ex *Agathia* et *Jornande*, qui de Bello Gothico scripserunt, sub finem seculi quinti, et per sextum seculum, inter cæteros pestilentes morbos, acerrimas sæviisse apoplexias, quàm multosque, repentinâ morte interiisse, tanquam apoplexiâ gravi correptos.

Ex scriptis *Hollerii* et *Foresti*, qui XVI^o. seculo, et initio XVIIⁱ vixerunt, evidens est non raras suo tempore fuisse apoplexias; et in universum, *Forestus* tradidit, suis quidem Batavis regionibus frigidis et humidis, non raram, imò frequentissimam esse apoplexiam;

apoplexiam; frequentem quoque in locis frigidis, et ob situm terræ, ut Florentiæ, Lucæ, et Bononiæ, vel ob regionis naturam, ut Germanis, et Britannis. *Observ. med. lib. 10. observ. 70.*

Refert *Baglivus*, per annos, 1694, 1695, et usque ad 1705, inter multos alios morbos Romæ tunc grassantes, plurimas quoque fuisse apoplexias, mortisque repentinas; non solùm autem in urbe Roma, sed per universam penè Italiam, adeò frequentes fuisse funesti hujus morbi casus, ut instantis mortis horrorem singulo ferè momento, viventibus incuterent. *Oper. omn. p. 568 et 683.*

Narrat *Morgagni*, multos Bononienses de improvise sustulisse apoplexiam, intrà eos quindecim dies qui inciderunt in mensem Maium, ann. 1704; eodemque terribili spectaculo, feracem fuisse initium Maii, anni 1729, quo, penè quotidie, magno omnium terrore, ex improvise, aut statim, aut certè intrà horas non multas, cives plurimi commoriebantur. *Epist. anatom. III. ad n^o. 11 et 13; et epist. IV. ad n^{um}. 12.*

LXI. Gestorum Gothici populi, historici, vitæ mutationi ex laboriosa, in desidem et voluptariam, tribuunt apoplexias et pestilentes morbos, qui, seculo sexto, cum Martis furoribus, et imperii cupiditate, ad genus humani perniciem, foedus iniere. Legitur etiam apud *Egnatium* auctorem seculi XVI, apoplexiam tunc temporis frequentem, ob immoderatum vini, Venerisque usum, pervulgatam fuisse. Equidem, intemperantia, et ebrietas, in communibus apoplexiæ causis, ab omnibus numerantur; undè hinc causam repetit *Henricus ab Heer*, quòd septentrionalibus populis adeò frequens sit hic morbus, et regulam hanc nimis generalem, uti et *Lancisius*, posuerit, neminem ferè sobriæ vitæ addictum, eodem corripit.

Nescio an fuerint Gothi apoplexiâ maximè mulctati, an verò populi quibus bellum et deprædationem afferebant; at, meherclè, propria non fuit populo domito, vitæ mutatio, ex laboriosa, in voluptuosam, sed domitori; et reipsa, debuit ille post multos labores, et esuriem, omnibus voluptatibus indulgere: an inde pestilentes morbi et apoplexiæ? Dubito; cùm famis, communis sit progenies ægritudo, cùmque si excipias casus singulares nimix plenitudinis, nihil sit aptius lætitiâ, ad firmam et diu protractam valetudinem. Certè, nostris temporibus, non videmus sæpiùs morbis obnoxios, eos quibus nova seculi fortuna ridet; quin è contra cadant apoplexiæ, et alii morbi, in afflictos, in illosque quibus admodum angusta res familiaris est. Unde pronus essem ad cogitandum, primum in domitos irruisse has calamitates, quæ domitoribus dein communes fuere.

Notare tamen velim exitiosam aliquoties esse potuisse hanc noviter introductam consuetudinem, uno tempore, cœnandi et prandendi, præsertim apud illos, qui nullo utuntur jentaculo; fit enim subitanea, à repleto nimis stomacho, copiosior humorum distributio ad cerebrum; neque tamen pluribus verbis, in hoc usu, commorandum est, cùm non sæpiùs ægrotari observentur, qui cibum unâ vice assumunt, quàm qui partitis vicibus, cibus utuntur.

LXII. Apoplexiam, *Hippocrates*, inter morbos numeravit, qui in pluviarum multitudine, et qui item hieme, magna ex parte fieri solent (*aphor. 16 et 23, sect. III*). Australes etiam constitutiones timebat, quas, ait, corpora dissolvere, et humectare, et gravem auditum, ac capitis gravitatem, et vertigines facere. (*ibid. aphor. 5 et 17*). *Forestus*, suas superiùs notatas adducens observationes, totam, ait, tunc fuisse cœli constitutionem pluviosam et austrinam, et ita ab initio Decembris, usque ad 18^{am}. diem, plurimos

apoplecticos , et convulsos interiisse. *Hollerius* , multos concidentes sine motu et sensu , ait se observasse , Lutetiæ , in frigida et austrina aeris constitutione ; scilicet , medicum quemdam doctissimum , sexagenarium , ultimo Januarii die , à cœna , concidisse mortuum ; *Ruellium* , Septembris periisse quarto die , sicut et bibliopolam quemdam , eodem die , viâ Jacobæâ : pictorem quoque , mense Aprili , anno 1545 , interiisse , stertente apoplexiâ ; eodem mense figulum , in suburbio Jacobæo , levi apoplexiâ paralyticum , alterâ parte evasisse. Alius medicus , eâdem ferè constitutione temporis , paulò ante cœnam , apoplexiâ correptus , repentiè interiit. (*Holler. de morb. intern. L. I. p. 46.*)

Piso notavit , quòd quando circa solstitium hibernum , Boreas ventus , corpora valde comprimens , et mercurium eapropter in Barometro sursùm urgens , repentiè insurgit , dispositos admodum infestare solet attonitus morbus. Huic conferunt *Lommii* et *Lancisii* sententiæ , de aeris insalubris ac præternaturalis constitutionis efficacia ad producendam apoplexiam ; huic facit quoque illa observatio *Amati Lusitani* , quâ , admissò liberiùs corpori , ex balneo fervido æstuanti , frigido aere , apoplexiam accersisse memorat.

Epidemicæ Pontificalis imperii apoplexiæ , causam jure merito peti posse arbitratur *Baglivus* , ab insueta illorum annorum aeris intemperie ; æstatibus scilicet calidissimis et siccissimis , successerant hiems , anni 1694 , frigidissima , et hiems 1695 , adeò pluviosa , ut post hominum memoriam , visæ non fuissent uberiores pluvix. Contulerunt etiam terræ motus ferè universi , quibus ab anno 1687 , usque ad annum 1704 , concussa fuit Italia , cum multorum locorum ruina ; timor pestis quæ invaserat Apuliam , ann. 1691 , et fames quæ nonnullis in locis sæviebat. (vide *Bagliy. opera* , loco citat.)

Bononiæ, anno 1729, pluviosus fuerat autumnus, pluviosa hiems, pluviosus ver, et tantùm sub initium Maii, primùm, idque repentè, veris calor redierat. Autumat *Morgagni* verisimile esse, in mensem Maii, ann. 1704, qui etiam, ut vidimus, apoplexiis ferax fuerat, convenisse quædam illorum quæ de Maio, anni 1729, mox dicimus; et quidem, reipsa, ut ex *Baglivio* didicimus. Desumit autem *Morgagni* ex his annorum tempestatibus, rationem frequentiæ apoplexiarum; periculumque inprimis, imminere arbitrabatur, rigente brumâ, aut fervente æstate, ubi repentè se excipiunt; minus verò periculi inesse, cùm sensim ad summum usque, aut frigoris, aut caloris pervenitur. Bononiensium autem civium apoplexiam produxisse, tunc temporis, judicabat, subitum aeris calorem, qui, exsolitam sanguinis expansionem attulerat, cùm maximè, ob diurnas subfrigidas tempestates, nec dilatata adhuc vasa fuissent, nec sanguis per insensibilem transpirationem esset imminutus. Erant prætereà, ob æquè diurnas pluvias, tam infirmæ vasorum fibræ, quàm quæ maximè, eaque de causa, disruptioni magis obnoxia. Vide *epist. supra citat.*

LXIII. Has Patavini professoris conclusiones admisit auctor constitutionis medicæ, ætatis anni 1807, *D. Double* (vide proœmium). Narrat aeris temperiem hujus ætatis, fuisse (in Parisiensi ditioe scilicet) calidam atque humidam; ventosque ferè semper spirasse ex austro et occidente, et aliquoties ex septentrione et occidente. Calores interdùm fuerunt maximi, et transitus sæpè fuit repentinus, à calida temperie, in frigidam, et vice versâ. Arbitratur autem vix ad aliam causam referri posse tot mortes subitaneas, hoc anno, Parisiis, quasi epidemicas, quàm ad anni insalubres tempestates, ut et, ad hominum incuriam, se, adversùs illas, aptè muniendi; judicatque subitum aeris calorem, insolitam sanguini expansionem afferre,

unde vitiosa cerebrum versùs , hujus humoris directio.

Constitutio autumnalis hujusmet anni , mox frigida et humida , mox temperata et humida , Parisiis , fuit ; dominatumque iterùm potiti sunt morbi catarrhales , qui senum caput afficientes , multis hujus ætatis , repentino etiam ictu , exitiales fuisse (*Diarium general. Societ. Medic. Parisiens. mens. Februar. ann. 1808*). Undè nasceretur inductio , favere etiam cerebralibus morbis catarrhalem constitutionem.

LXIV. Nostram , de his causis , sententiam , priusquam proponamus (quoad tamen tantùm illa quæ vidimus) , quædam de regione quam incolo præcedere decet.

Infimæ Provinciæ clima , æstate calidum et siccum est , hiemeque , frigidum et siccum. Vix unquam in hac regione sensim fit transitus à temperie ad aliam temperiem , frequenterque evenit ut oppressi incolæ ab ardente Sirio , derepentè à vento Circio (*nord-ouest, mistral* dicto) frigidissimo algeant. Raræ admodum sunt pluvix , si excipias solstitiorum , et æquinoctium tempora ; at abundantiori rore matutino , et vespertino , in vicinia mediterranei , plerumque salito , compensatur. Fit , à cœlo adeò versatili , ab acriorique , ut ita dicam , aere , ut communes sint morbi pectoris , acuti et chronici , promptèque lethales (quod Niceæ etiam observavi) , unde malè cogitant phthisici qui , ad has regiones , tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Communes etiam sunt morbi capitis ; inter quos , maniam , et apoplexiam nusquam raras fuisse , mihi expertus referebat socerus. Frequentior tamen quàm antea , nunc judicatur ultimus hic morbus , cujus non pauca vidi exempla , intra paucos annos quibus Massiliis medicinam exercui.

LXV. Regio autem in qua hæc scribo , *Martigiorum* civitas , quanquam ad Massiliarum vicinias ,

quid à situ diversum et proprium habet. Aquis salsis in multis partibus dividitur, iisque ferè præcingitur, quæ, æstatis tempore, ad margines canalium, non rarò computrescunt, rigenteque hieme, congelantur. Omnibus ventis liberè, et continuò diffatur; pluvie rariores adhuc sunt quàm in reliqua Provincia, cum à ventis perpetuò imbres propellantur; at ros, copiosior et magis salitus (ut experimentis comprobavi) quàm in reliquis locis; undè ferè semper humidus atmosphæra: nebulosus quoque frequens aer respiratur.* Incolæ, ferè omnes piscatores, et inopes, omnino sunt ichthyophagi; et ubi desunt pisces recentes, cochleis et salsamentis pro victu utuntur.** Sobria, cæ-

* Notatu inprimis digna fuit nebula, sicca, rubicundula, quæ totum hunc horizontem, ferè velavit diebus 1^a. et 2^{da}. Martii, hujus anni 1808, post plurimas dies frigiditas et ventositas; thermom. ad gradum 0; Baromet. ad pollic. 28 et lin. 4; flantibus nihilominus septentrionalibus ventis. Hæc nebula terram olebat, pulveremque tenuissimum, subrubellum (ob radii rubri, ut solet, faciliorem transitum) continebat, quem precipitare sinebat. Cùm in diariis, tunc temporis, de terræ motibus sermo esset, quibus olim D. *Toaldo*, nebulæ siccæ anni 1783, originem tribuerat; hanc pulverem, cujus unciam unam collectam habebam, analysi chemicâ, siccâ et humidâ recognoscere statui. Summatim igitur dicam, hanc pulverem cujus color similis est radici ipecacuanæ pulverisatæ, nihil ignei, et volcanici habere, sed compositam esse, terræ siliceæ, ad majorem partem; calcariæ, ad minorem; argilacæ, ad minimam; viderique à vento, ex regione *Crau* dicta, transvectam fuisse, suspensamque, in crassiori atmosphæra, per aliquod tempus, manere potuisse. Australis, inde facta fuit, derepentè constitutio; et quod optabiliùs desiderabatur, nullum, ex his successit malum, nec hominibus, nec frugibus.

** Præcipuum hujusce regionis alimentum consistit in piscium culinari præparatione, cui nomen est *boulli-peissa*. Rapidè bulliunt pisces in aqua cum allio, cepa, sativo apio, pipere, sale, et oleo. Consumpto ad mediam partem liquido, effunditur in vase, plebeii panis offis pleno.

terum admodum est hæc populatio, et paucis contenta. Dolores rheumatici, scorbuticæ affectiones, hydropes, febres intermittentes, nephritici et calculosi dolores, morbique cutanei, tinea inprimis, communes sunt hæc in regione ægritudines, ut etiam in omni ditione *stagni Berretensi*; et, morbos cutaneos nominans, obiter, nunciabo mihi veram lepram antiquorum agnoscere visum fuisse, apud quatuor vel quinque familias, incolas pagi, in viciniis dicti *Berræ* stagni; qui pagus *Vitrollium* nominatur. Cùm similem hæreditarium et antiquum morbum extinctum dixerint, in museo tantum edocti, illumque variis aliis in locis, vivum, et in filiis propagatum viderim, has observationes quondam publicas reddere curabo. * Sed ut

Nascuntur ex acri, stimulante et nutriente, hoc cibo effectus duo primarii; 1^{us}. determinatio frequens ad organa genitalia, unde numerosa procreatio, et quoque aliquoties morbosa salacitas: 2^{dus}. acritas quædam in solidis et fluidis, unde alteratur pederentim natus color; formosæ enim videntur puellæ usque ad primos pubertatis annos, quæ tum deformes fiunt: hæc autem coloris mutatio apud advenas non succedit, qui carnibus et vegetabilibus vescuntur.

Est verò inter hæc justa compensatio; nam in aere ferè semper humido, naturali quodam ductu, ad cibos acres homines incitantur, ut debilitantibus causis alacriùs resistere queant.

* Hæreditariam lepram observaveram in multis familiis; loci *Pigna* dicti, in ditione Alpium Maritimarum, et in pago vicino, tum Ligurio, nomine *Castel-franc*. Adventitiam quoque mihi fuit occasio observandi. Similia vidi, *Vitrollio*, quo in pago, quatuor vel quinque familiæ, hæc congenitâ labe inficiuntur, ut, et adventitiâ, apud quosdam. Quo, autem, de morbe quem pro lepra habeo, rectum possit Lector iudicium proferre, breviter sequentem delineabo descriptionem juvenis Vitrolliensis, nomine *Ludovici Guiédon* ann. circiter 34, quem perlustravi, die 16. Novembris, anno 1807, præsentibus, ejus patre, chirurgo loci, *D. Martin*, et milite nomine *Simone Farin*, quibusdam lepræ symptomatibus quoque affecto, quibus, anno 1806, in Martigiensi nosodochio,

ad propositum redeam, perquam raræ olim, his in regionibus, observabantur apoplexiæ, sic enarrantibus senibus, nunc frequentes; frequens etiam est epilepsia, quam tamen, ab omni tempore, non raram fuisse arbitror, ob cœli indolem, quæ similis sese offert cœlo pagi Alpium Maritimarum, in quo communem hunc morbum inveni, cùm statiticè has Alpes peragrarem. Frequentes etiam admodum sunt passiones hysteriçæ et hypochondriacæ.

Per annos autem, 1806, et 1807, qui siccissimi fuerunt, regnarunt frequentius venti ex oriente et meridie, calidi et humidi, ita ut tamen aliquoties drepentè spirarent, ex septentrione, et occidente, frigidi et sicci. Tenaces præcipuè, fuerunt austri, mensibus

arseniato sodæ, sudorificis, cauteriisque, suppetiatus eram.

Modica statura. Crinis protensus, subrufus, sparsus, vultum tegens, obscurandi gratiâ. Frons rugosa, tuberosa; depilata supercilia, et cilia. Oculi parvi, acres et acuti. Nasus modicus, acutus. Vultus plenus et subruber. Tumidæ maxillares, et parotides. Tumentes omnes glandulæ, imprimis, linguales, amygdalæ, pharyngæ, laryngæ. Sputatio frequentissima. Larynx extus propulsus, mobilissimus. Respiratio anxiosa, coarctata. Venæ tumidæ, et ideò manus. Pulsus alacris, frequens. Vigens ciborum appetentia, atque digestio. Optimæ vires musculares. Crura tuberosa, cum venis inflatis. Cæterùm, juvenis alacris, vivacissimus, quotidie rusticis durisque laboribus exercitus, cum quibus rectius valet, quàm ubi otiaitur; de morboque non conquestus, nisi de angusta respiratione, et de nimis frequenti spuendi necessitate.

Ab octo annis, glandulari, ac lymphaticâ hâc ægritudine aborat. Priùs, scabie afflictus fuerat, et ante scabiem, febribus intermittentibus, per tres annos. Pater ejus et mater sexagenarii, formosâ specie, et optimâ valetudine gaudent. Fratres, amici, parentes, cum ægro versantes, nullum inde morbum acquisiverunt.

Hæc sunt symptomata, magis minùsve acerbata omnium illorum quos vidi hâc ægritudine laborare, ut fusiùs aliàs enuntiabo.

Januarii, Februarii, et Martii, anni 1806, quo populariter sævit; in pagis totius ditionis, præcipuè ad littora maris, febris catarrhalis, quæ dispnoææ suffocantis, peripneumoniæ, lethargiæ, rheumatismi acuti, hæmorrhagiæ variæ, symptomata simulabat, multosque abortus produxit. Thermometrum Reaumurianum, vix ad glaciem descensum fecit per hanc hiemem. Maximum æstivi caloris fuit, grad. 24. Hiems anni 1807, acutior fuit, et ad gradum unum subter glaciem, descensum fecit mercurium. Æstas fuit quoque calidior, et per aliquot dies remansit mercurium, in meo thermometro, ad $25\frac{1}{2}$ gradus; at propter ventos humidos, intolerabiliores adhuc erant calores. Lutentes pisces, ut *squalus-squatina*, *syngnathus-acus* (*Linn.*), aliique, aquis innatabant, asphixiâ capti, potiùs, ut arbitror, ex limo corrupto, quàm ex calore, cum meum thermometrum, ad gradum 19, tantum, in stagni aquis, ascenderet. Hiems vero hujus anni, 1808, algidissima fuit, pro regione; thermometrumque per mensem Februarium, ad gradum 2 subter 0, ferè semper fuit; piscesque varii, inter quos *squalus* supradictus, et *mugil-cephalus* (*Linn.*), languentes et ferè mortui, ita copiosè, supernatabant, ut omnis populatio, in pisces faciles captandos, dies consumeret; è quibus, heu, non adveniat malum, cum multi ferè corrupti essent! thermometrum autem, in aquis, gradum congelationis, non ultra descendebat.

Barometrum, hac in regione, quanquam ad libellam maris respondeat, magis quàm ad 28 poll. et lin. 5. non vidi ascendere.

LXVI. Inter omnes autem qui in hac regione apoplexiâ correpti sunt, perpauci, æstatis tempore, inciderunt; sed magis hiemali, et vernali tempestate, quâ summoperè variat cœlum; tempore etiam solstitii et æquinocitii, quo venti vehementiùs spirant. In

universum, ferè omnes de quibus habui notitiam, apoplectici facti sunt, flante frigidissimo vento *Mistral* dicto, cui immuniti expositi fuerant. Austræ et orientales auræ, quæ tam diu spirarunt, gravedines quidem, et raucedines produxerunt, non verò apoplexiam. Per hanc quam dixi, catarrhalium febrium epidemiam, talis erat aeris dispositio, ut sanguinem et vasa in pulmonibus expanderet, sanguinolentaque sputa educret, quod mihi ipsi evenit, dum ad ægros invisendos, quotidie per rura iter facerem: neminem autem vidi, ex 150 circiter ægrotantibus, in apoplexiam incidere.

LXVII. Nullum ideò mihi dubium restat, vento frigidissimo et rapidissimo, posse animalium humores, ab extus ad intra retropulsi, congestiones in visceribus, cerebro non excepto, producere: duplice nimirum vi, in corpus tunc agit ventus; vi refrigeratrice, quâ nativum externum *caloricum* imminuit, unde, ad equilibrium, internus calor foris continuò attractus, vix ad motus vitales sufficit: 2^{do}. vi compressivâ, et summa est, quâ vasorum cutaneorum diameter, in arctum coegitur, sanguineaque et lymphatica massa, in interiora impellitur. Torpescunt membra, cor palpitât, pulsus sunt imminuti. Resistunt fortes, pereunt debiles, pro tempore quo tali refrigerio expositi fuerunt.

Mense Maio, anni 1806, pauperculus, ex natione Germana, quem pridie in vias, sanum, robustum, mendicantemque inspexeram, per noctem, aeri dormierat, more mendicantium, id permittente tempestate. Surrexit interea ventus Borea frigidissimus, et summo mane, rigidus, pallidus, et absque sensu et motu, inveniebatur hic pauper, unde in nosocomium delatus est. Pulsum explorans, nullum detexi, et irregulariter solùm, cor formicabat. Omnia membra erant contracta, et frigida, ut cubiculi pavementum. Linteis calidis, ut iterùm et iterùm excalfaceretur æger,

apertoque violenter ore , ut quid jusculi calidi , cum vino mixti , interdum haurire facerent , imperavi. Ita cessit hæc curatio , ut post tres vel quatuor horas , sensus redierint , quædam obscura loqueretur , et pulsus surrexerit , inæqualis tamen. At , per aliam noctem cum verisimiliter ministrantes ægrum exalfacere desierint , pulsus iterum abivit , et cum stertore , apoplecticus , die secundâ , obiit , qui famulorum diligentiori operâ servari potuisset.

Die 15^a. Februarii , ann. 1808 , perierunt à frigore duo homines , alius robustus , ex vico dicto *Cha-teauneuf* , alius , debilis , cachecticus , ex pago *Marrignane* vocato , ambo , mugil - cephalos frigore stupefactos , in superficiem stagni *Berræ* , captantes. Primus cum aquam intrasset , puero auxiliaturus , mandentesque idcirco vestes haberet , ad illas mutandas domum , semihorâ circiter distantem , magnâ diligentia quæsivit. At vix subuculatus erat , cum apoplecticus cecidit , facie rubrâ , et obiit. Alter , debilis , asphyxiatus , sicut pisces quos captabat , ad littora stagni cecidit , et ad pagum delatus , etiam interiit (XXXIII).

LXVIII. Quanquam autem apoplexiam à calore minus observaverim , nullus etiam dubito , ex tot doctorum virorum consensu , à calore intenso , imprimis si magno frigori extemplò succedat , rapi posse sanguinem ad caput. Sic , narrat *Duretus* Quæstorem quemdam cum in sole ambulasset , indeque liquatus sanguis , per venam ruptam , in cerebro esset diffusus , derepentè apoplecticum interiisse : et , memor sum , dum in castris medicinam exercerem , regnasse aliquoties , æstatis tempore , febres perniciosissimas , quæ caput , adeò illicò obsidebant , ut ad humum ægri prosternerentur ; quod præcipuè ferventi aeri tribuebatur. Undè , ut artis dogma , denuntiare non hæreo , frigus repentinum calori succedaneum , et calorem intensum frigus derepentè excipientem , ut vernali tem-

pore, inter apoplexiæ causas occasionales, locum distinctum habere. His addere potes: animi affectus, iram inprimis, ac terrorem; immoderatum cœstrum venereum; capitis imprudentes lotiones, dein aeri frigido expositionem, monentibus *Ettmullero*, et *Amato Lusitano*; tum aliæ (XIX) expositæ; quas tamen superioribus, ex cœli inclementia, invenies minus communes.

LXIX. Convenire tamen oportet sublimiorum influxum universalem esse, omniaque animalia, ventorum, caloris, frigidi, sicci et humidi, actioni patere, cum tamen pauci tantum inter homines, apoplecticâ morte interficiantur: tum, ex plurimis hominibus, ejusdem fermè ætatis, cœli intemperiei expositis, aliquem tantum pati evenit, dum alii incolumes evadunt. Deinde non nova elucescit hæc cœli inclementia; nulla in mundi systemate facta est revolutio, ut credula plebs animo facilè fingit; constat enim ex scriptis et traditione, ab omni tempore eandem circiter fuisse, regionis quâ scribo, temperiem, quanquam minus frequentes observarentur insultus apoplectici.

Neminem fugit, penè omnes auctores, temporum instabilitatem variorum morborum coargui; non respondet tamen huic tam frequenti, ab initio mundi, causæ suppositæ, numerus apoplecticorum morborum populariter grassantium: si enim excipias exempla superius allata, et quædam forsitan mihi nunc ignota, ubinam de frequentissima apoplexia sermo instituitur? nullum invenies in constitutionibus descriptis à *Sydenhamo*, à *Ramazзино*, à variis auctoribus quorum observationes collectæ reperiuntur in operibus dicti *Sydenhami*; nullum, in ephemeridibus ann. 1776, 1777, 1778 et 1779, à magno observatore *Stoll* traditis, in quibus, verumtamen, eadem constitutiones temporum, iidem morbi (præter apoplexiam), quos nos, annis proximè elapsis, observavimus, des-

eribuntur ! pectus , abdomen , frequenter feriuntur ; febres exanthematicæ , catarrhosi morbi , communes sunt ; at , apud illos auctores , (et in hoc , ut in aliis , laudetur divina Providentia !) de apoplexia , vix nisi de accidente , mentio inspicitur.

Dispositio ergo , sine qua non , antecedens debet esse , cui impromptu favent cœli intemperies , aliæque externæ causæ.

LXX. Docuerat jam , alicubi , divus Senex , non derepentè morbos hominibus accedere , sed quæ sensim collecta sunt , affatim , magnoque insultu sese prodere , ac proferre. Et *Theophilus Bordeu* , medicus quondam summi ingenii , hujus dispositionis necessitatem quoque agnoverat ; expressè enim profitetur , repentinam apoplexiam , vel paralytin , signum esse has , à multo tempore , radices habuisse , insultumque nihil aliud esse , quàm ultimum conatum , vel ultimam febrim , aliæ insensibili , succedaneam ; ideò , incertum admodum esse , an talem raptum , venæ sectio prevenire potuisset. (*Recherches sur les maladies chroniques* , p. 225.)

LXXI. Quænam est hæc dispositio ? an hæreditaria labes ? an habitus ad summum plethoricus , cum magno capite , colloque brevi (deficiente vertebrâ) , atque amplo ? efficientes equidem sunt hæ causæ , sed confiteri est non respondere hosce casus , numero apoplecticorum , certis temporibus. An mutata corporis constitutio , in aliquo vitæ tempore , ut in senectute ?

LXXII. Verum equidem est plures senes apoplexiâ corripiti ; verum etiam quod *Hippocrates* (*aphor. 31 sect. 3*) inter senectutis morbos , vertigines et apoplexias numeraverit. At plures juvenes etiam hoc morbo afficiuntur , et ipse *Hippocrates* (*aphor. 57, sect. 6*) subjungit apoplecticos maximè fieri , ætate , à quadragésimo anno , usque ad sexagesimum. Ætas autem hæc nondum constituit senectutem. An , in senio , de-

bilia vasa encephali, unde frequentior apoplexia, sicut quidam arbitrantur? an ob id, schemate altiori dormire teneantur senes, dum è contra pueri et juvenes, absque pulvinari jacere præferant, ut scriptum alicubi invenio? Sed anatomicè, similia non confirmat, ut, è contra duriora, firmiora vasa, et sæpè ossea reperias. Tum aneurismaticæ dilatationes frequentiores sunt in juvenibus quàm in senibus. Deinde, exæquatur resistantia actioni, quæ minor est in senectute. Dicendum quoque, hæmorrhagiæ cerebri tantum, convenire hanc hypothesim, non aliis apoplexiis. Tandem, generalis hæc causa, generalem effectum haberet, quod feliciter abest: videmus enim singulis diebus, vegetos octogenarios, viridè se gerentes, in bello, in consiliis, in litteris, in arte medica, in agricultura, in re domestica, in amicis; qui, absque insultu apoplectico, longam vitam tandem cum morte commutant. Infrà dicebitur, non apud omnes gentes communem esse apoplexiam, quod, in supposito, aliter esse deberet. Quoad schema jacendi, multi senes humili situ obdormire malunt; quique contrario utuntur, id non ob apoplexiæ timorem, sed ad liberiores respirationem. Non ergo senectus, proclivitas necessaria est ad apoplexiam.

LXXIII. In stupenda rerum humanarum universali ratione, quærendam arbitror hanc dispositionem, probabiliorem quoque et frequentiore occasionalem causam.

Si enim in universi generis humani, vitam, sanitatem, et morbos, eruditum animum conjicimus, videmus ignotam apoplexiam esse gentibus agrestibus, ut et omnium, quas nerveas vocamus, ægritudinum sylvam. Evidens mihi, et cuique est, hæc propositio, attentè legenti egregium compendium historiæ generalis peregrinationum, à celebri *La Harpe*, ejusque continuatoribus, institutum.

Vix notus erat hic morbus in caris *Sabaudiaë patriæ* alpibus; neque notum inveni in alpibus maritimis quarum universam statisticam Descriptionem quondam feci, pagum per pagum.

Nunquam milites apoplexiâ extinctos observavi, per septem annos quibus in castris, Bellonæque nosocomiis, artem exercui. Rarissimus hic morbus est, etiam ubi quasi populariter grassat, apud agricolas, victûs unicum spem ponentes, in fructus terræ constantiores quàm spes opificum, mercatorum, navigatorum. Tandem in urbibus frequentior est quàm rure.

Ex his concludimus, civilis humanæ consociationis effectum esse apoplexiam, fierique in nobis per totam vitam ad hunc morbum dispositionem, quæ major est apud cultos quàm apud rudes, apud illos in quibus eminent sensibilis facultas, quàm apud homines quos modicè tangunt vitæ socialis eventus. Cùm præsentem revolve imaginem quorundam quos apoplexiâ extinctos cognovi, illos, dum viverent, pietate faciliè affici, et in commoventibus, faciliè lacrymasse recordor.

LXXIV. Et quidem, jam alius est modus sentiendi, vivendi, valendi, ægrotandi, et ferè dicam, moriendi, civitatum incolarum quàm rusticorum. Plantarum instar ferè est agrestium populorum veges vita; legumque naturalium, in functionum statera, vix unquam turbatur mirabilis ordo: nos autem, plus in phantasia vivimus, quàm in rebus; fit continuus ex cerebro in viscera, ex visceribus in cerebrum, reciprocus fluxus; pathematum tumultu agitati, et tamen necessaria dissimulatione, angustè illa in pectore constringere coarctati, hypochondriorum vires pedetentim attenuantur; fiunt lentæ congestiones in hepate, liene, pancreate, mesenterio, viis urinariis, quæ hypochondriacos halitus ad cerebrum mittunt, et ipsi cerebri vires sympathicè minuuntur; unde in apoplecticorum sectione

anatomica, ferè nunquam non labes antiqua in visceribus reperitur, ut in Capite tertio compertum lectori fuit. Ærumnarum justis, nefariorumque felicium, perpetua imago, sensim ad sensus internos trahit omnium organorum vires, et tandem minima de causa, rumpitur æquilibrium, his vitæ annis quibus homo ad senium vergit. Quibus, in voluptates minus evagatus, de injustis, et ingratis magis conqueritur. In his ergo, meo judicio, quærenda est ratio illorum raptuum, miseris, macilentis, exercitatis, sobriis, sapientibus, præter omnem manifestatam occasionem, evenientium; quos raptus multò frequentiores vidi, quàm apud homines hujus habitudinis *apoplecticæ* dictæ, semper Baccho et Veneri indulgentes, prognosimque medicorum, lungâ vitâ, plerumque irridentes.

LXXV. De ascendentibus spasmodicis motibus jam sermonem fecimus (LI), quædam nunc dicendum de refluentibus viribus, scilicet arteriarum motu, et sanguinis circuitu, ab extus ad intra. Hujus animalis œconomix proprietatis, quotidianam æquè ac sinceram offerunt imaginem animi pathemata, heu! sæpè nimis apoplexiam inducentia.

Metu-ne quis percellitur? pallent omnia corporis externa, sanguine represso centrum versus; sensuum externorum, et musculorum, summa et prompta nascitur debilitas; tremunt membra; alvus frequentissimè officio fungitur; variaque sensuum et motuum incommoda inde oriuntur, et etiam epilepsia, in debilibus.

Dum homo subitâ corripitur irâ, comprimit animum, moxque in minas, et verbera erumpit: quot autem miserix, si prudentiâ jubente, coarctatur procella? quanta suspiria in afflictis observantur, quibus conantur levare quam circa præcordia percipiunt anxietatem! quàm brevis, et anhela respiratio in subito terrore percussis! dum, ut egregiè jam observabat ill,

Van Swieten,

Van Swietten, pueri à severis objurgantur magistris, cessat per aliquot momenta, respiratio, mox incipit rubore perfundi tota facies, distrahuntur musculi faciei, tremunt manus, balbutit lingua: neque cessant hæ turbæ, nisi erumpentibus lacrymis, cum suspiriis creberrimis, et ploratus magnis; undè libera fit respiratio, dilatatur cor, et omnia in æquilibrium restituantur.

Quid simile videre est in apoplexia levi, ubi solvitur: non liberatur homo, nisi à febrili motu superveniente, ex quo manat largus sudor, universalis, calidus, undè vires vitales in stateram restituantur.

LXXVI. Non arduum haberem ostendere, si singula recensere cunctantiùs non esset, frequentiore semper fuisse apoplexiam in urbes senatorias, apud litigiosos, in argentaria, et mercatoria fora, in aulis principum. Neque difficilius est oculis subjicere magnas generis humani calamitates, hoc morbo ferè semper comitatas, ut umbra corpus.

Non satis est-ne Barbarorum memoria, Imperii Romani rudera infestantium, ad expingenda seculi sexti (LX) infortunia? Hujus seculi, stragibus, stupris, incendiisque conspicui, quibus Italiam et vicinia, vastarunt, Gothi, Burgundi, Franci, militesque Justiniani imperatoris, inter se ad imperium, flammâ, ferro, insidiis, belligerantes!

Seculum XVI, cui addere potes initium seculi XVII, celebritate, in genus humanum, heu nimis operosâ, clarum! seculum fuit, ut notum est omnibus, *Caroli Quinti*, *Leonis X*, *Francisci I*, *Henrici VIII*, *Lutheris*, *Calvini*, Concilii Tridentini. Hoc durante, Ecclesiæ perturbationes, Austriacorum, Anglorum et Gallorum divisiones, Summorum Pontificum vacillationes, Neapolitani regni armis occupatio, factionum, et sectarum multiplicitas, fame, bello, luctu, desperatione, Europam universam, usque ad initium se-

culi XVIIIⁱ impleverunt. His miseriis partem quoque adscribere non dubitat *Baglivus*, tot apoplecticorum morborum suo tempore grassantium, præ illas, quas diximus, insuetas annorum constitutiones, atque terræ motus. « Tot etenim, exclamat magnus hic » medicus, urbium vastationes, et incendia, tot ho- » minum cæsa millia, impedita prorsus commercia, » pacis aditus ferè præclusi, cui, quæso, horrorem » mortis, imò mortem ipsam non afferrent? » Finiente seculo XVII^o, et ineunte seculo XVIII^o, regnabat Ludovicus XIV. Substitutio schedarum nummariarum, pro metallicis nummis, undè multis domesticarum rerum naufragia; bellum diuturnum pro successione Hispanica, cujus tota Europa particeps fuit; bella civica, aliaque, quæ tamdiu regnarunt: quid non morborum omnium catervæ originem præbere potuerunt, inprimis in hac jucunda, et ideò toties misera Italia!

Nimis omnibus notum est, ut ad littora redeamus, quàm magnis et diuturnis calamitatibus comitata fuerit in Gallia, rerum politicarum commutatio: Quot luctus! quæ fortunarum subversiones! quis æstus terroris et spei! quæ animorum et sensuum excitatio, et quis collapsus! quot splendores! quot virtutes! quæ flagitia!... Et *dedisset Deus his quoque finem, Et rebus nosmet servaremus secundis*, si bellorum diuturnitas quæ artium pacis, negotiorumque exercitia cohibet, plerosque, præcipuè locorum maritimarum incolas, in angustum magisque non poneret.

LXXVII. At locum habere vix potuerunt tot agitationes, quin caput offenderetur. Jam in Americana commutatione politica, Philadelphię, multi cives apoplexiâ extincti fuerant, inter quos, in ipsa sessione, *Peyton-Ramdolph*, senatûs præsul. Bellum anni 1745, numerosissimos quoque, in Scotia, similes insultus fecerat. Propterea ergò, multis in Galliæ civitatibus,

ultimis hisce temporibus, frequentes fuerunt mortes subitanæ. Quibusdam præcæni facti sunt capilli; ceciderunt hi in aliis, ut et supercilia. Cæcitates, surditates, odontalgia, convulsiones, communes fuerunt. In multis, extincta fuit memoria. Augebatur maniacorum numerus, saltem in his meridionalibus regionibus, ut Actis nosocomii insanorum Massiliensis, mihi compertum fuit. Præter autem insanias et apoplexias, vix ulla erat acuta febris, absque delirio, quod diu adhuc, etiam morbo finito, persistebat (vide egregiam *M. A. Petit Orationem, de, in sanitate publica, Gallicarum commotionum influxu. Lugduni 1806*). Notandum tamen volo minori numero fuisse apoplexias, durante supradictâ commotione, quàm post. Ferventibus, enim, animi affectibus, et factionibus, intendebatur cerebrum, vigoreque maximo fruebatur; unde potius, mania, phrenitidi, delirio, locus erat; quæ, relaxatis, et fractis omnibus, debilitatis morbis, apoplexiâ, imprimis, suppleta fuere.

LXXVIII. Non improbabile igitur concludimus, ex his toties repetitis concussionibus, nasci potuisse in cerebro multorum hominum quandam proclivitatem ad paroxysmos apoplecticos, præteritos, et futuros; forsanique indicia hujus proclivitatis fuisse, et esse, vel cavernas has, pedetentim in cerebri substantia excavatas, quæ in sectione cadaverum multoties observatæ sunt (LII), vel hydatides, et turgida lymphatica (LIII), vel cerebri substantiæ nimiam laxitatem, ut passim, in capite tertio multa habes exempla. Posito autem hoc germine, et morbidâ etiam viscerum compage, evidens fit minima de causa turgida reddi posse vasa cerebri, apoplecticamque mortem orituram, ex effuso sanguine vel sero, à debilibus vasis, languentibus etiam ipsis viribus absumpturis.

LXXIX. Quoad hæreditariam proclivitatem, si ab illis quos vidi (XVIII), de cæteris iudicium ferre

liceret, sanguineam semper futuram talem apoplexiam, libenter prædicerem; eorum etenim qui meum implorarunt consilium, caput est amplum, cum venis distentis, capillis nigris, et crispis, oculis scintillantibus; dolet prætereà sæpissimè sinciput; tinniuntque aures; et sunt hi vertiginosi. Quæ symptomata nasi hæmorrhagiâ sedantur. Pulsus est fortis, vibrans et frequens; vivaci ingenio pollent, avidèque cibos appetunt. Timendum est proptereà ne inæqualis continuò fiat sanguinis ad cerebrum distributio (vide nostram *Physiol.* n. 1021), undè hujus olim vasa rumpantur, impulso sanguine, ab alia, vel alia, ex numerosis externis causis occasionalibus quas in hoc capite recensuimus.

C A P U T V.

*Historia medica opinionum , de causa , natura
et curatione apoplexiæ , cum adnotationibus. **

LXXX. **F**REQUENS , de attonitis , sideratis , apoplecticis (quæ unum idemque sunt) , in variis *Hippocratis* operibus , est mentio , quanquam tamen plures descriptiones , tam catocho quàm apoplexiæ convenient. Jam multis in locis hujus opusculi , venerandi Senis sententias retulimus , nobisque propria fecimus , varia ejus effata de prognosi ; diximus etiam (LXII) , quid de influxu tempestatum in hunc morbum sentierit , et quâ ætate (LXXII) observaverit apoplexiam magis communem esse : restat ergo quædam his addere , Cois doctrinæ compendium , hoc de morbo , occurrentia.

Monet (*aphor. XLI. sect. II.*) , eos qui sæpè exsolvuntur et fortiter , absque manifesta causa , de repente mori. Docet , (*Coac. prænot.*) illis quibus capitis sunt dolores , et sonitus aurium , citra febrim , et tenebricosa vertigo , et vocis tarditas , et manuum torpor , illos aut apoplecticos , aut epilepticos , aut obliviosos , fore expectandum. Apoplexias à cachectica metastasi noverat ; nam ait , atrabiliaris morbis (*aph. LVI. sect. VI.*) , periculosi humorum à loco

* Intelligas quæso , amice Lector , hunc titulum , non quoad historiam compositam in musæo litteratæ civitatis , sed quoad libros quos in mea solitudine possideo ; habebis tamen principum variarum sectarum opiniones ; forsanique tædiosa facta fuisset fusior enarratio , eoque magis , quòd mille auctorum opera , nihil aliud plerumque sint quam eorundem verborum iteratio.

ad locum decubitus, aut siderationem corporis, aut convulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem, significant.

L. de rat. vict. in acut. IV sub nomine aphoniæ apoplexiam fieri docet, propter interceptionem vasorum: inquit enim: « cum quis repenti obmutescit, id venarum interceptiones, occlusionesque faciunt; » quod etiam innuere videtur *l. 2, de morbis*.

Sicut in aliis morbis, ita in apoplexia, multum in vires naturæ medicatrices confidebat, quarum febris præcipuum est instrumentum: itaque ait: (*aphor. V. sect. V.*) si quis ebrius derepenti voce privetur, convulsus moritur, si non febris corripuerit, aut ubi ad horam quâ crapulæ solvuntur pervenit, loquatur. Tum (*aphor. LVII. sect. IV.*), ubi dicit: à convulsione vel distensione nervorum vexato, febris accedens, morbum solvit. Tum (*aphor. LI. sect. VI.*) dicens: quibuscumque sanis derepenti dolores fiunt in capite, et statim voce intercepta jacent, ac stertunt, in septem diebus pereunt, si non febris apprehendat. *Lib. II. de morbis*, sic effatur: derepenti sanum capitis dolorprehendit, confestimque obmutescit, et stertit, et os hiat; et si quis eum vocet, aut agitet, solum ingemescit, nihil autem intelligit, et copiosè meit, et se ad mictum non incitat. Hic, nisi eum febris corripuerit, intra septem dies moritur; quod si corripuerit, plerumque sanus evadit. Paulò post eadem repetit, dicens: at si quis ex temulentia voce deficiat, si quidem jam confestim eum febris corripuat, convalescit; nisi vero corripuerit, intra triduo moritur. In *Coacis prænotionibus*, postquam dixerit: « in apoplecticis, ex spiritûs molestia, sudor accedens, lethale; » subjungit: « rursus autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit ». Hunc autem effectum, ut jam antea notavi (*IX*), et ut videtur ex sequentibus hujusdem orationis, expectabat à fe-

bre moderatè valida , et citò adveniente , insurgentis vitæ robore excitata ; non verò à febre quæ , oppressis vitæ viribus , lentè glisceret. Hinc *Galenus* hunc textum explicuit dicens : quòd obortæ apoplexiæ , non acuta et calida , sed debilis et diuturna subsecuta febris , nihil profuerit. (*Comment. 2. in prorrh. c. 49*).

Quid sentierit *Hippocrates* de apoplexiæ causa proxima , operibus difficile est eruere ; confusa enim multa sunt , ut à variis auctoribus , vel variis temporibus , scripta credantur : certum autem est , et ab omnibus antiquis monumentis comprobatum , Chaldæis , et Egyptiis , proindeque Pythagoræ , Platoni , Aristoteli , Theophrasto , aliisque priscis , visum fuisse spiritum , caloris et motûs causam esse , ejusque immobilitatem , torporem frigidum , seu paralysim , producere ; spiritum alienigenum in corpore introduci posse , quod ad caput ascensum , in giros caput internum vertat , sicque vertiginem producat. Hæc itaque sæpiùs in operibus *Hippocratis* repetita videmus ; neque unquam abolèvit hæc doctrina , etiam partium mollium perfectiori reddità anatomiâ , ab *Herophilo* , numerosissimisque ejus successoribus : creavit enim sectam pneumaticam , ad nosque transiit , variis nominibus larvata , animæ scilicet , spirituum vitalium , animalium , etc , etc.

Credendum autem de sanguine *Hippocratem* cogitasse ; utilitatem enim agnovit sanguinis emissionis , sive naturalis , sive arte factæ , in apoplexia orta post suppressas solitas hujusmodi evacuationes , præsertim hæmorrhoides : præter enim multa alia loca , ait expressè in *Coacis* : « ex hæmorrhoides parum apparente , vertigines obortæ parvam siderationem brevè futuram , significant : solvit venæ sectio ».

Ut videre est in *libro IV. acutorum* , aliàs repentè secabat venam , aliàs , secabat quidem , sed præparatione præmissâ ; scilicet , priùs caput fomentabat : ar-

bitrabatur scilicet (hocque fundamentum est ejus doctrinæ , lungâ observatione innixum) , aliàs fixam esse materiam , aliàs , motam , et ab exterioribus , vel infimis , cerebrum petentem , quam fotu repercutere tentabat.

An distinctionem postea celebrem fecerit inter sanguineam et serosam apoplexiam , non admodum operibus clarè elucescit ; id autem probabile est : cùm enim observaverit aliam , tempore pluviarum , et aliam sicco et hiberno oriri , non potuerit ad eandem speciem illas revocare : deinde , in ipsismet *Coacis* , prohibet venæ sectionem ubi non est plenitudo sanguinea , et expressè monet , hanc in perfrigeratione torpida , malum esse. Huic , serosæ scilicet apoplexiæ , acria purgantia , toties in ejus operibus commendata , verisimiliter opponebat.

Tandem , non ipsum latuerat frequens , heu nimis , artis impotentia in hunc morbum : omnibus notum est effatum : (*aph. XLII. sect. II.*) « Siderationem fortem quidem solvere , impossibile est ; debilem vero non facile ». Et *aphorism. sequent.* « Ex his qui strangulantur , et submerguntur , nondum autem mortui sunt , non reconvalescunt , quibus spuma circa os fuerit. » Quod verum etiam in apoplexia comperi. Vide *de Hippocrat. et aliis priscis, sequentibus, Artis Med. principes. Edit. Halleri.*

LXXXI. Accipimus à *Cælio Aureliano* , antiquissimos medicos , *Dioclem* , *Praxagoram* , *Asclepiadem Titiensem* , et *Demetrium* , tanquam totius corporis paralysim , apoplexiam considerasse ; illorumque methodum fuisse , initio , aceto atque oleo , caput ægrotantis fovere , cæteras autem partes corporis , vino et oleo , imbutis rudibus lanis , contegere ; caput deinde studiosè fovere decoctis hederæ , vel serpylli , aut peucedani. Quam medicinam *Cælius* damnat , ut acrem et constringentem. Verisimile au-

tem est arbitrase hos medicos , ut vidimus *Hippocratis* fuisse sententiam , raptum aliquem fieri ad caput , quod constringere et frigefacere studebant , dum cæteras partes calefaciebant , ut à capite attraherent. Hoc autem , *Cælii* pace , non tam ineptè cogitatum , plures judicabunt.

LXXXII. *Methodici* (inter quos *Soranus* , et suprâ laudatus *Cælius* principes facilè sunt) ad genus strictum omnem apoplexiam retulerunt , in quo vehementer patitur caput. Nullo igitur causarum facto discrimine , ægros , *Cælius* locari jubet loco lucido mediocriter , atque calido ; (laxare enim dicebant lumen et calorem , constringereque umbram et frigus : quam opinionem secuti sunt medici secul. XVIⁱ et XVIIⁱ). Phlebotomiam commendat , remissionis tempore , vel circa primæ lucis exortum (nihil enim tempore exacerbationis moliebantur) , et antequam viribus corpus destitutum sit. Abstinenciam præscribit , usque ad primam diatriton (scilicet ad 3^{am}. diem) , illoque tempore suadet articulorum blandas contrectationes , fomenta cum oleo dulci et calido , et vultum circumtegere , spongiâ , ex aqua calida expressâ. Pro potu , aqua calida , vel mulsa , sensim faucibus instillata. Post primam diatriton , jubet unctionem calidam , fottus calidos , cum spongiis humidis ; clysterem simplicem , si alvus officio non fungatur ; cucurbitularum , cum scarificatione , applicationem occipitio , atque universæ vertebrali spinæ ; inde fottus cum spongiis ; cataplasmata laxantia ; tonsuram totius capitis , cum hujus multis partibus , cucurbitularum admotione. Usque ad morbi declinationem , post primam , ut dixi , diatriton , alternis diebus , cibum sordibilem permittebat , et singulis diebus , si vires deessent.

Imbecillior nunc judicaretur hæc medicatio , quam sæpissimè majori efficacîâ non polleat vehementior. Hoc incongruum habet , quod magis attende-

rent *Methodici* (ut etiam hodierni complures) ad sectæ ordinem , quàm ad morbi naturam. Non contemnenda tamen est , meo judicio , hæc medendi ratio , quæ , cum antecedentibus (LXXXI) quid commune habet ; attentè *Cælii* , vel ejus magistri *Sorani* , de omnibus morbis , opera legenti , evidens fit , cogitasse hos priscos , vires vitæ sæpè , ab extra , ad intus omnimodò refluere , quas æquabiliter , univèrsum corpus revocare tentabant. Cæterum , *Cælii* descriptiones , magni , curiosi , fidelisque sunt observatoris.

LXXXIII. *Aretæus Cappadox* (ex pneumatica secta , sapiens vir , pertinaciter sectæ non nimis addictus) duas agnovit apoplexiæ species , aliam cui confert venæ sectio , et aliam , multâ frigiditate , torpore , et sensuum abolitione sociatam , cui non confert sanguinis eductio.

Magnum proclamat adjutorium sanguinis missionem , cujus tamen quantitatem necessariam conjectare difficile ait : nam si paulò plùs detrahitur , homo planè jugulatur , et si minùs quàm causa postulat , nihil magni per magnum auxilium confertur , adhuc enim causa permanet. Monet autem præstare , minus detrahendo delinquere ; nam si minus detractum visum sit , et aliqui optimi successus apparuerint , iterum venam scindere , congruens fuerit. Jabet secare venam cubiti , et in latere sano , si sit hemiplexia ; consideratque hoc auxilium tanquam generale , quotiescumque absque evidenti causa , quis attonitus redditur. De quo certè , cum *Aretæo* non consentimus.

Ubi apoplexiæ causa ab humore frigido , aut crapula , pendere videtur , tunc , non præmissâ venæ sectione , alvum subluere jubet , clystere acri ex euphorbio , et pulpâ colocyntidis , cum nitro (natro) quo multitudo humorum ab intestinis extrahatur , humoresque caput occupantes revellantur ; audaciùs re-

petitum vult hoc remedium, si paulum ob hoc excitatus homo fuerit, aut febre correptus, aliaque signa in melius appareant. Quinimò, tunc medicamen purgans, quod *sacrum* vocabat, integrâ portione, cum mulsa, jejuno dare præscribit, valentibus viribus; si non permittunt vires, dat dimidiam portionem, ægrumque supinum in lectica collocat, atque agit. Si, dum purgatur, nauseans fit, id non prohibere auctor est, nam, ut ait, et illa distentio ad vigorem quemdam expergefaciendum præstat, et pituitæ vomitus, morbi causam evellit.

Miram vim habere dicit *castoreum* ad resolutos, datum potu cum mulsa, eadem dosi, ac in veterno (dimid. dragma) ; hoc in unctionis forma etiam commendat, et parat ceratum ex oleo, et cera, natro, pipere, galbano, castoreo, pyrethra, et aliis similibus, quibus ungere jubet totum hominem, inde lanis involvere. Cataplasmata emollientia, duris, distentisque partibus opponit. Inunctiones præfert fomentis, et irrigationibus, cum istæ citò diffuant, illarum verò perpetuitas conducibilis sit.

Cum morbus diu trahitur, et caput in causa est, cucurbitulam commendat occipiti affigendam, et sanguinem largiter ex illa hauriendum, prius tamen, inter scapulas, inani cucurbitulâ admotâ, ut in contrarium ejus, quæ in occipitio est, succos revellat. Plus enim, ait, quàm venæ sectio, hoc auxilium proficit, et vires nequaquam labefactat. Quod ultimum nego, teste meâ experientiâ, morbo jam in longum protracto.

Impeditâ deglutitione, ob resolutis œsophago, et pharinge, jubet introducere in gulam, super epiglottidem, specillum longum, cavum et flexibile, in quo infundantur liquida alimenta, et medicamenta. Resolutis vesicâ et recto, monet minimè tutum esse catheterem in vesicam dimittere, ne impendat discrimen vesicæ corruptionis, et homo convellatur. Vult

ut pauco cremore alvus subluatur, cumque stercus ab intestino ejectum fuerit, ut castoreum cum oleo, iterum injiciatur, ad medendam scilicet recti, et vicinæ vesicæ, paralysim.

Ut videtur, optima et docta scripsit *Aretæus*. In apoplexia à sanguine, sufficere venæ sectionem, non abfuit existimare, ut multi post eum. Non tamen reprehensione immunis est; quòd non descripserit casus in quibus convenire, vel non, judicaret venæ sectionem.

Illum non fugiit nervorum decussatio, cum in hemiplexia venam scindere jusserit in latere sano. Primus, de vomitu in apoplexia, locutus est, quem adeò multi, post illum, laudarunt: at, notandum, *Aretæum*, vomitum tantum comprobare, ubi homo jam excitatus fuerit, non verò ubi est hauriendi impotentia.

Ipsam, ut et præcedentes, non latuerunt cucurbitularum usus et effectus; sed ne magis adhuc humores ad caput attraherent, illas, non nisi evacuato jam corpore, apponebant, præmissis aliis cucurbitulis vacuis, decliviori loco. Irrident recentes, et tamen inest observatio *Fabricii Hildani* (*observ. 75. cent. 5.*) duorum ægrotantium, quibus, applicatis cucurbitulis, corpore non purgato, ob vehementem cephalalgiam, et vertigines, paulò post, paralysis successit.

Adnotatione dignum est *Aretæi* præceptum, de usu specilli, impeditâ deglutitione. In usum equidem debet esse, quoties timor est ne glottidem penetrent liquida. Facilius nunc per nares introducitur.

LXXXIV. Capite de resolutione nervorum, *Cornelius Celsus*, apoplexiam ut multi priscorum, tanquam paralysin universam considerat, quam ferè insanabilem declarat. Cum ad unum genus, omnes similes morbos, verisimiliter retulerit, hujus satis notæ sententiæ auctor est: *apoplecticos, sanguinis detrac-*

tionem, vel occidi, vel liberari. Quæ quidem vera est, ubi empiricè sanguis detrahitur, et falsa, ubi judiciosè hoc auxilium applicatur. Aliud curationis genus, vix unquam sanitatem restituere ait, nihilque spei superesse, si post adhibitam venæ sectionem, non redit motus, et mens. Quæ etiam vera sunt de apoplexia exquisitè sanguinea, non verò de aliis speciebus.

LXXXV. *Archigenes* (ut legitur apud *Aëtium*, lib. 6, c. 27, p. 108) doctus inter *eclecticis* medicus, tempore Trajani et Adriani, quem pluries laudavit *Galenus*, sequenti modo apoplecticos curabat: jubebat pennâ fauces irritando, leviter depleri ventriculum, et acri clysmate injecto, pariter evacuari intestina; his autem factis, præmonito priùs discrimine, venæ sectionem in manu dextra instituebat, sed, in apoplexia non absolutè sanguinea, partiendo quantitatem; virtutem enim excitari, non dissolvi, calorem-ve extingui, oportere dicebat. Observabat autem pulsum, faciei colorem, et respirationem, illo tempore dum sanguis fluebat, et si nihil pejus succedebat, plus demebat. Post sanguinis missionem pergebat ad illa quæ sensus sopitos excitare possunt; ut sunt odorama, et clamores, etc. Ubi autem venæ sectionem locum non habere credebat, tunc amplas cucurbitas absque scarificatione, validè trahentes, applicabat lumbis et iliis, affirmabatque alvum sic frequenter subductam fuisse, et simul apoplecticos ad se rediisse. Nota quòd cùm fuisset discipulus *Atheni*, ex secta *pneumatica* quædam deprompserat. (*Vide le Clerc. Hist. de la Medec.*)

LXXXVI. Vix doctior et acutior *Galeno Pergameno*, medicus unquam fuit. Irritis tot et et tantis correctionibus, ejus dogmatibus refertissima adhuc est medicina. Sumpsit proprietates Aristotelicas, revulsionem *methodicorum*, spiritum flatuosum *pneu-*

maticorum, vires medicatrices *Hippocratis*, ex illisque systema ædificavit, cujus futuram perfectam conquisitionem nondum prospicere licet.

Universam *Galeni* doctrinam, de apoplexia, complectuntur ejus commenta ad *Hippocratis* aphorismos qui de hoc morbo agunt, atque libri *de arte curativa ad Glauconem*. Sic, ad *aphor. 42, sect. II.* docet, in apoplexiis, totum corpus sensu privari, ac motu, solo restante anhelitu, qui, si, et ipse prohibeatur, maxima et acutissima est apoplexia: fortem esse in illis qui cum vi respirant; minus fortem in illis qui, neque intentum, neque violentum, inæqualem, exordinatum, intermittentem habent halitum: debiliorem in quibus aliquem servat ordinem, in illisque, si omnia fiant quæ sunt necessaria, citò curari. Omnes autem, ait, apoplexias fieri, vi animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter dispositionem inflammatoriam, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso; magna autem ex parte curationem non admittere propter respirationis læsionem.

Docet, in *comment. ad aphor. 51, sect VI:* doloris capitis sanis repenti advenientis causam, referri debere ad spiritum flatuosum interdum verò, et ad influentis universim materiæ multitudinem, quæ casus repentis fiunt; quam esse materiam pituitosam ex eo ostendit, quòd febris superveniens solvat dispositionem, ut quæ calefaciat, extenuet, atque resolvat spiritum flatuosum, et pituitosos humores. Fieri autem hoc, auctor est, nonnunquam tribus diebus, aut quatuor, nonnunquam verò pluribus, non tamen ultra dies septem, quia pars est principalis quæ afficitur, non possitque diu tolerare fortes simul, ac diuturnas passiones.

Ad *aphor. 56, ejusdem sect.*, pituitoso humori, apoplexiam, convulsiones, et cæcitatem producenti,

adjungit humorem melancholicum , quoniam communis utrisque est crassitudo , et autumat apoplexias quæ fiunt à quadragésimo usque ad sexagesimum annum , evenire quoniam in his annis maximè abundet atræ bilis humor , quemadmodum etiam in autumno.

Ad pituitam igitur , spiritum flatuosum et bilem , apoplexiæ , ut et aliarum capitis ægritudinum , causam , retulit imprimis *Galenus* ; et quanquam de phlegmone , vel inflammatione cerebrum occupante locutus sit , potiùs humorem melancholicum passim accusat quàm sanguinem , ut videre est , *de locis affectis* , l. III, IV et V. Libro tamen de venæ sectione , postquam de essentia febris disseruit , quam calori accenso tribuit , sanguinique putrescenti ; subjungit : Nonnunquam , priusquam putrescat sanguis , ingentem ipsius vim decumbere in partem aliquam , quam aut extinguit omninò , ita ut ejus actio pereat , aut illi certè noxam non contemnendam infligit ; hocque pacto , apoplexias provenire , multo nimirum sanguine incumbente confertim , in animantis principium : quibus venæ sectione mederi præcipit , habitâ ratione ætatis , virium , plenitudinis , coloris , anteaactæ vitæ , temporis , regionis.

In lib. I , *de arte curat. ad Glauconem* , cap. 15 , videndum docet , unde multitudo vaporis atque humoris , in capite contineatur ; an ad caput ascenderint , an propter ejus partis imbecillitatem , an ob totius corporis plenitudinem. Hanc ultimam , totius corporis evacuationibus curat ; illam verò quæ partis imbecillitate contingit , medicare jubet , partim in contrarium retrahendo per totum corpus , clysteribus acribus , nexis , et frictionibus in partibus inferioribus plurimis ; et venæ sectionibus et cucurbitulis : partim autem ipsi capiti remedia adhibendo , quæ vim repellendi habent ; ac deinde evacuantibus , ut sternutatoriis , et

sialagogis ; postremò verò corroborantibus. Medicamentorum dein, hisce intentionibus propositorum, pomposa ostentatur sylvà.

Meritò vituperatus fuit magnus ille vir, quòd ad sectam propriam erigendam, *Hippocratis* textus sæpè alteraverit, ut hypothese responderent, malueritque omnia ad præconceptam opinionem accommodare, quàm veram rerum naturam exponere.

Primus de nervorum potentia disertè locutus est, primusque ad illam explicandam spiritus animales introduxit.

LXXXVII. *Alexander Trallianus* nihil scripsit de cura apoplexiæ, propriè dictæ, quam definit totius corporis sensûs et motûs abolitionem, cum principis animæ functionum noxa, et quodammodò morte accedente. Atque, ut si inutile duxerit attendere ad morbum qui, in ferocitate manens, semper est lethalis, quique remittens, paralysim, ut effectum, habet, de hoc effectu disserere tantùm judicavit.

Galenicæ disciplinæ totus addictus, præcipit ut attendatur unde paralysis originem trahit, an à capite, aut à nervis vertebralibus, ut non symptomatibus, sed origini nervi curatio admoveatur, sicut toties in libris *de locis affectis*, commendat magister *Galenus*. Ita, si oculus, aut nasus, aut lingua, aut quædam in facie, affecta fuerint, constat morbum esse in cerebro, eique primario succurrendum esse : si verò paralysis est in organis trunci, significat spinalem medullam ægrotare, aut aliquem ex suis nervis affectum esse. Quoad causam, illam deducit ex qualitatibus, et quantitibus humorum, à *Galeno* positis, scilicet, ex crasso, viscoso, frigido, interdum etiam terrestri melancholico ; ex calida et sicca, ex frigida et humida temperie, etc, curationemque consequentem instituit, aliquoties etiam supersticiosam, more hujus temporis, de qua hic non loquar, cum ad paralysim pertineat.

Hic,

Hic auctor, bonâ praxi, cæterum, multis in aliis morbis clarus, nullus est in apoplexia, et paralyti, cùm neglexerit in sua hypothetica distributione, signa proferre, quibus causa alia, ab alia distinguatur.

LXXXVIII. Quanquam per multa secula apud omnes prævaluerit *Galen*i doctrina, cùm usque ad seculum XVI, nullum habeamus, alicujus ponderis, de re medica scriptorem, præter verbosos commentatores, et serviles compilatores: variavit tamen aliquoties apoplexiæ curatio, pro medicorum, et temporum ingenio. Sic legimus apud *Julium Capitolinum*, imperatorem *Lucium Verum Severum*, apoplexiâ in vehiculo correptum, depositum è vehiculo, detracto sanguine *Altinum* perductum, cùm triduo mutus vixisset, apud *Altinum* periisse. Unde judicandum est medicos hujus imperatoris, illicò ad venæ sectionem confugisse. E contra, *Oribasius* qui vivebat tempore *Juliani* imperatoris, primum vomitoriis vel clysteribus, ventrem exonerabat, mox sanguinem mittebat. Aliàs, nulla operabat, sortique suæ apoplecticos relinquebat, quòd aliquoties solâ naturâ restituerentur. De diætâ tantùm curabat, quam severissimam præscribebat, nihil permittens 1^a. et 2^{da}. die, quòd adhuc acutior esset passio, et tantùm aquam calidam administrans 3^a. die, more *methodicorum*.

Aetius de incubo loquens, monet adversus sui temporis superstitiosa, non esse dæmon, sed magis præludium et præmium morbi comitialis, aut mania, aut apoplexiæ: occurrendum igitur esse inchoanti malo, cùm perseverans, et assiduè invadens, quempiam ex prædictis morbis inducat, crasso et fuliginoso humore, paulatim collecto in cerebri ventriculis. Hunc autem humorem timens, jubet, nullâ factâ distinctione apoplexiæ, semper vomitum vel clysterem, venæ sectioni præponere.

E contra, *Paulus Ægineta*, omnibus aliis post-

positis medicamentis , illicò ad phlebotomiam confu-
giebat , neque semel tantùm , sed bis , et eâdem , aut
sequenti die , sectâ venâ cubiti , vel cephalicâ. Hæc
quoque Arabum erat praxis , et imprimis , *Avicennæ* ,
Rhasis et *Mesue* , qui cucurbitulis etiam multùm
utebantur , ut de his sæpiùs , in sequentibus , dicendi
erit locus.

LXXXIX. Auctorum seculi XVI et XVII , per-
volvens opera , semper easdem opiniones , de apo-
plexia , observabis , eandem medendi methodum ,
si excipias quoque quasdam variationes , in tempore
et modo remedia administrandi. Mutabant colores ,
res ipsa manebat. Vide *Cardanum* , virum doctissi-
mum (vivebat anno , à Christo , 1553) medicos
sui temporis redarguentem quòd semper pituitam in
causa apoplexiæ accusarent : « Infantibus , aiebat ,
» plenum est cerebrum pituitâ , ut nulli alii ætati ; et
» tamen nunquam apoplexiâ corripiuntur. Apoplexiâ
» hi maximè senes corripentur , qui pituitâ abun-
» darent in cerebro , atque ita soliti gravedinibus , et
» raucedinibus laborare : sic et aquæ potores , et non
» vini ; somnolenti , et non vigiles : at nihil minus
» horum. Accidit enim hic morbus vinolentis , solli-
» citis , vigilibus , capite carnosio , sed non pituitâ
» redundante ex naribus , nec ex palato. » At , bonus
ille pituitam non adeò arcebat , nisi ut hujus loco fir-
maretur *atrabilis* , quam omnis apoplexiæ causam
proximam dicebat. (*Comment. ad Aphor. 55 , l. 6.*
Hippocr.)

Celebrior tamen fuit et permansit , inter quatuor
humores , morbi divisio , in sanguinea et calida , in
pituitosa et frigida ; adversus primam non interruptè
decertatur , sanguinis educatione , et adversus secun-
dam , evacuante , et corroborante medicinâ. Suspensa
tantùm manet opinio , per aliquot momenta , chimi-
corum inventis , et fictis ; *Helmontii* et *Stahalii* au-

dacibus cogitatis; sed, antiquitate, et auctoritate innixa, *Galeni* doctrina, novas ex conflictu acquisiisse vires visa fuit, usque ad initium seculi XVIII: illustrata interea operibus *Hollerii*, *Ballonii*, *Sennerti*, *Riverii*, *Ettmulleri*, *Ranchini*, *Sydenhamii*, *Schenkii*, *Willisii*, *Wepferi*, etc. quorum sententias, ut et *Chimicorum*, hic breviter exponere non piget.

XC. *Hollerius*, *Duretus*, et *Valetius* medici seculi XVI, quorum scripta in uno inveniuntur, apoplexiam dixerunt: plenitudinem totius corporis, vel capitis, unde viæ spiritales intercipiuntur. Fit hæc plenitudo, vel à sanguine, vel à pituita. Si levis tantum sit apoplexia, jubent hominem agitare, concutere, fricare, præsertim ad collum; sæpè enim, aiunt, apoplecticus quis concidit ex levi obstructione, quæ agitatione corporis discutitur.

Hoc non sufficiente, vena scinditur in brachio, amplo vulnere, quod remedium sæpè satis esse dicunt; narrat enim *Duretus* se complures apoplecticos solâ venæ sectione sanasse, vidisseque *Aetium*, juvenem multi sanguinis, qui, per tres dies apoplecticus mansit, et largo è naribus sanguinis profluvio, quartâ die, liberatus est.

In apoplexia, à frigido et crasso humore, primò, hominem concutere, vellicare, et irritare, variis modis, jubent, et si permittant vires, etiam venam scindere, parum detrahendo, sectionemque paucas post horas, repetendo. Quod si æger non ferat phlebotomiam, vel venæ non sint conspicuæ, præscribunt nihilominus, scarificare, atque cucurbitulas, et sanguisugas, universo corpori apponere, præsertim jugulo, et sub mentum.

Hanc, absque remissione, sanguinis eductionem, in qualibet apoplexia, comitabantur clysteres acres, purgantia, unctiones calidæ, ex oleis volatilibus,

epithemata, sinapisantia, et alia hujusdem naturæ excitantia.

Similis autem fuerat Arabum medicina, eo solo discrimine, ut initio venas malleoli scinderent, postea cephalicam in utroque brachio, inde jugulares. *Rhases* verò, ex jugularibus vel cephalicis, illicò, deinde ex pedibus, et extremo naso, sanguinem educebat.

XCI. Quanquam nominatim, de apoplexia, non scripserit *Gulielmus de Baillou* (vulgò *Balloonius*) præclarus medicus Hippocraticus Parisiensis, seculi XVI, non abs re judico tanti viri sententiam, de causis et natura hujus morbi, breviter exponere, eò magis quòd, quid peculiare haberet, temporibus quibus vivebat. Arbitrabatur autem (ut *Bordeu*, duo post sæcula (LXX), febrem quodammodo peculiarem, posse esse in capite, facta ad illud translatione symptomatica: unde, ob venenatæ aureæ appulsum, quæ sacram cerebri sedem tetigit, et perculit, alienus calor statim concipiatur. Observaverat in plenitudine et cacochymia, cum corpus vel apoplexiâ, vel epilepsia, vel vertigine, tentatur, aliàs frigidius reddi, aliàs non refrigerari, sed maximè incalescere partem aliquam, præsertim, vel quia infirmitas est, quæ propensionem ad excipiendum attulit, vel quia eò, inclinatur humor, quodam motu temerario et fortuito, ut cum in vapore et exhalatione effera (quæ partes potius superiores appetit) res tota consistit.

« Quot enim sunt, ait, qui, quocumque febris genere teneantur, caput nullo modo doleant? aliis » cum primùm sese, vel diaria febris offert, dolor » penè incredibilis caput obsidet! sic aliis, aliæ partes, citiùs tardiùs, promptiùs, vel minùs promptè, » læduntur et impetuntur. » Judicabat, autem, aliquando spiritum animale descensu prohiberi, quòd à plenitudine tum cerebri, tum corporis fit, et aliquando vitalem, ascensu, morborum attonitorum,

veram progeniem esse; in hocque ultimo casu, sæpè extima algere, calore maximo percepto in capite. Sic fuerat æger historiæ primæ, comment. *Ballonii*; qui, paulò antè, gravi metu percussus, repentè conciderat, obmutuerat, adurente, flammeoque calore ad frontem. Huic antea, hypochondrium doluerat. Olim, sanguinem ore, rejectaverat affatim. A secta vena, repetit malum. Post magnam purgationem convaluit. Hic morbus non verè fuit apoplecticus, sed mixtus.

Passim laudat auctor venæ sectionem in attonitis morbis, sed monet ne improsperè instituat, febris salutari insurgente. Vide *Ballon. consil. med. l. 2^{dus}. comment. in histor. 1^a.*

XCII. *Hermetici*, seu *Chimici*, apoplexiam quoque tribuebant, nebulosis exhalationibus in cerebrum evectis, atque ibidem conclusis, instar nubium (ut loquitur *Quercetanus*) in aere expansarum, quæ deinde congelantur ab humore, vel vapore salinæ, mercurialis, vel sulphuræ conditionis, ut præsertim esse solet spiritus vitrioli. *Paracelsus* tamen, jecori, et pulmone, vitium hoc interdum adscribit, et modò sulphur, modò mercurium, illius causam accusat. Venæ sectionem ferè omnes damnabant, et in hujus locum, sicut et aliorum remediorum, sua anti-apoplectica substituebant, ut syrupum helleboratum dictum, aquas, elixiria, balsama anti-apoplectica dicta, spiritum salis dulcem, spiritum salis ammoniaci, linimenta ex oleo succini, spicæ, castorei, florum hyperici, succo rutæ, et alia similia, quæ his temporibus primam suam originem debent. Talis autem erat illorum in præconcepta opinione fiducia, ut *Petrus Barbette*, non infimus medicus-chimicus, postquam apoplexiam retulerit ad lympham crassiorem nervos obstruentem; venæque sectionem, idcirco, omninò damnaverit, ut inutilem et sæpè perniciosam; frictiones mercuriales commendaverit, in cura hujus morbi, quòd aliquos,

evenisse contendat , abundanti salivatione , judicatos fuisse. Vide ejus praxim *cap. 2* , cum notis , ad eandem , *Frederici Deckers*.

XCIII. Miscuit *Helmontius* chemicorum proposita , inductibus , è motuum vitalium observatione. Cum viderit ventriculum , situ , connexionibus , functionumque gravitate , universis partibus ferè impulsum communicare ; silere ferè illas dum exercetur ; cogitationem ipsam languescere , soporosamque propensionem sæpè nasci tempore digestionis ; in hoc viscere , *Galenii* spiritûs flatuosi , *Hermeticorum* nebulosarum exhalationum , multorum spiritûs animalis ascendentis , fontem posuit. Ventriculum itaque , ferè omnium ægritudinum cerebri , ut et apoplexiæ , in causam esse docuit ; nominatim enim monet (in capite à sede animæ ad morbos) , suscitari vertiginem , si suboriatur mucilago putrida , ad amarorem prona , etiamque apoplexiam , si fortiùs insurgit. Arbitrabatur etiam apoplexiam fieri ex utero , et ex vitiato fellis fermento. Hinc , hunc morbum curare jubebat , remediis stomacho aptissimis , præcipuè aromaticis. Salem concretum ex oleo volatili cinnamomi , caryophyllorum , lavandulæ , etc , magnoperè extollit. Alibi , etiam fatetur recentem apoplexiam , per vomitum curatam fuisse , præcipuè ex vitriolo albo ; et loquitur de apoplexiis , quæ in paralysim deductæ fuerant , sanatis , exhibito diaphoretico *Paracelsi*. Ejus insuper sectator *P. Jo. Faber* , curandæ apoplexiæ arcanum , in vomitu consistere scripsit ; proptereaque , vinum emeticum , pulverem emeticum , et flores antimonii , summè prodesse , testatus est , ut et sudorifica , præsertim diaphoreticum quod ipse ex stamno composuit.

XCIV. *Sennertus* apoplexiæ causam proximam tribuit , ut *Galenus* , denegato spirituum animalium influxui , et motui , in sensuum organa , 1^o. ab humoribus crassis ; 2^{do}. à sanguine ad cerebri basim ef-

fuso ; 3°. à constitutione cerebri phlegmonoide ; 4°. ab ictu , vel compressione externa ; 5°. à spiritu narcotico , stuporem producente.

Sequentia cuilibet apoplexiæ generalia remedia primum indicat : ægrum collocare supinum , et extensum , paulisper erectâ cervice , cuneoque interposito , os apertum tenere ; extrema ligare ; omnes sensus , frictionibus , contrectationibus , aromaticis , salibus volatilibus excitare ; cucurbitulas cruribus affigere , ad revulsionem ; cucurbitulamque scarificatam capiti imponere ; clysteres acres injicere , tam ante quàm post venæ sectionem , si eâ opus sit.

Venæ sectionem in apoplexia pituitosa non excludit , si vires ferant , sique sanguis pituitæ permisceatur. Sed hujus mixtionis nulla signa præbet , qui tamen præcipuus erat scopus. Si vires non permittunt , à sanguine abstinendum , sed in clysteres insistendum , et postea valenter purgandum.

Vomitoria excludit , quòd magis caput repleant , cum suffocationis periculo ; illaque , cum *Avicenna* et aliis , tantum permittit , si necessaria videantur , ubi , præmissis universalibus , emetici actionem æger adjuvare potest.

Laudat *Avicennam* qui , in pituitosa apoplexia , post evacuationes , ferrum candens admovebat suturæ coronali , et occipiti , sensum revocandi gratiâ ; quod propositum in *Riolani* Anatome , etiam invenio.

Sternutatoria , et sialagoga multum facit.

In apoplexia sanguinea , ante omnia , confugit ad venæ sectionem , jubetque plus sanguinis detrahere quàm in præcedenti , non unâ vice tamen , sed iteratè , paucarum horarum spatio , pro virium ratione. Sectionem venarum jugularium , frontis , nasi , cognovit , sed fecisse non videtur. Revulsionem cum cucurbitulis , multâ flammâ , inde cum scarificatu , cruribus et brachiis , magnificè laudat.

In apoplexia à vapore narcotico , omnia revulsionis

genera adhibet, ut et sternutatoria, et aquas spirituosas, aromaticas, apoplecticas dictas. In genere, harum aquarum usum commendat, in omni apoplexia, præter sanguineam, ob summam quâ pollent, penetrandi, et discutiendi facultatem.

Observavit apoplexiam hæreditariam, quam tribuit cerebri congenitæ debilitati; eandemque debilitatem etiam mortis senum in causam esse arbitratur, cum hi, sensus integros habentes, subito apoplexiâ correpti, concidunt.

XCV. *Riverius*, affectus soporosos, coma, lethargum, carum, et apoplexiam, uno capite comprehendere judicavit, eò quòd plurimum ab iisdem causis oriantur, eandemque curationem postulent. In quo certè vituperandus est, cum apoplexia morbus sui generis sit febre vacans, dum alii febriles ferè semper sint affectus. (Vide hujus operis cap. 2^{dum}.)

Medicorum sui temporis, et maximè anatomici *Sneiderii* auctoritate firmatus, primam, et potissimam apoplexiæ causam proclamat, humorem pituitosum, catarrhalem, vel aquosum, in cerebro, præternaturaliter contentum; 2^{do}. sanguinem redundantem in vasa cerebri, vel etiam extravasatum à ruptura; 3^o. tumorem in cerebro genitum, cujus exemplum, ex *Platero*, refert, vitium immedicabile, et durante vitâ, incognitum; 4^o. vapores è ventriculo et intestinis, ad cerebrum delatos; 5^o. medicamenta narcotica.

Priùs excitato omnibus modis ægrotante, et clystere immisso, jubet *Riverius* ut in cubito vena scindatur, ampliori foramine. Convenire autem, ait, venæ sectionem, quoties sanguis causa principalis vel adjuvans æstimatur, viresque ferunt; vires verò, non actionum animalium ablatione æstimandas esse, sed quales ante morbi invasionem fuerant, cum possint debiles esse non per *resolutionem*, sed per *oppressionem*. Hujus distinctionis gratiâ, exemplum profert mulieris apo-

plecticæ, fluentibus menstruis, quæ, quatuor copiosis, è cephalica, venæ sectionibus, octo horarum spatio, à *Zacuto Luzitano* liberata est. Quo magis abundet sanguis, eò plus detrahendum, auctor est; si verò pituita luxuriet, parciori manu mittendum esse: cæterum, utiliùs, ac tutiùs esse non unâ vice mittere, quantum opus est, sanguinem, sed per vices, intra tamen paucarum horarum spatio. Laudat ex *Zacuto*, et aliis, jugularium sectionem, sed non videtur eam in usum vocasse.

Purgationem instituere jubet paucis horis post venæ sectionem, neglecta temporum electione; validaque purgantia commendat, ob humoris contumaciam, et obrutam facultatem, quæ nisi vehementioribus excitatur.

Adversus *Sennertum* cui huc usque obsequitur, vomitum laudat, præcipitque, superioribus non proficientibus, ad antimonialia, minus vehementiora transire, ut est *aqua Benedicta* ex croco metallorum composita, quæ per superiora et inferiora potenter expurgans, pituitæ copiam, non solum è ventriculo, partibusque inferioribus, sed etiam è cerebro educit, ut hâc evacuatione, interdum ægri liberentur: profiteturque, se hâc methodo, virum nobilem, ter, intra biennium, ab apoplexia liberasse. Subjungit etiam, quamvis à doctissimis, vomitus in apoplexia improbetur, experientiæ magis credendum esse, quæ docet quotidianis experimentis, pueros comate affectos, sale vitrioli vomitivo, promptiùs, et tutiùs, quàm ullo alio remedio liberari. Docet quoque, tincturam nicotianæ, aquâ vitæ extractam, ad dragmas duas, cum melle exceptam, et in os infusam, potenter educere.

Intereà, omnia revellentia in usum vocat, ut frictiones, ligaturas, cucurbitas, suris et capiti, vesicantia cum euphorbio, posteriori parti cervicis, et scapulis; sinapismos, clysteres, et glandes acres. Sternutatoria, et sialagoga, etiam laudat, sed non in morbi principio.

Aquarum apoplecticarum usum non improbat, castoreumque, succinum, ambram gryseam, balsama, et olea odorata, in restituendis apoplecticis, plurimi facit.

XCVI. *Ranchinus*, alius professor Monspeliensis seculi XVII, apoplexiam veram nominat, *resolutionem totius corporis in cerebro natam per catarthum*, cujus communis causa est pituita per substantiam cerebri diffusa, illius ventriculos replens, atque perfectè obstruens; aliquoties autem sanguis crassus; et nonnunquam humor melancholicus.

Jubet, in principio, ægrum agitare, concutere, et clamoribus, vellicationibus, vinculis dolorificis, avulsione pilorum, frictionibus durioribus, illum excitare; deinde, si sanguinea sit apoplexia, et vires, ætas, aliaque consentiant, injecto priùs clystere acriori, venam scindere utriusque brachii, vel alterutrius, non autem paralytici; sanguinemque per plures vices in pauca quantitate elicere, pro ratione plenitudinis, ætatis, et virium. Improbat sectionem jugularium et lingualium; atque secari commodiùs dicit et utiliùs, venas frontis, poplitis et hæmorrhoidum, si istæ tumeant. Non omittit, post venæ sectionem, quæ illius vices gerunt, ut sunt: cucurbitulæ cum scarificatione, collo, scapulis, lumbis, et naribus admotæ; sanguisugæ ponè aures, et juxta venas jugulares.

Si pituitosa sit apoplexia, confugiendum ad purgationem universalem et particularem. Fit prima, purgante valido, duplici dosi ministrato, ut sufficiat ad naturæ procitationem. Laudat autem cum *Archigene* (LXXXV), vomitum excitatum cum penna, in oximelle scillicito infusa, et in gulam immissa.

Particularem vocat purgationem, vesicantia, toto capiti, et collo, rasis capillis admota, sinapismos, sternutatoria; ita tamen, ut non præscribantur in principio, sed tantùm post universalia remedia.

Confugit postea ad cerebrum roborantia, ut sunt aquæ variæ odoratæ, et spirituosæ, quarum haustus repetitos etiam permittit, ut excitentur vires, et recreata natura insurgat in materiam morbificam.

Peccat ille, ut præcedentes, in non enumerandis signis quibus morbi species distinguantur, aliaque vel alia medendi methodus, ritè applicari possit.

XCVII. *Ettmuller* causam proximam apoplexiæ tribuit impedito spirituum animalium influxui, interruptæ sanguinis circulationi per cerebrum, obstructis vasis, vel ruptâ venâ, et sanguine effuso; vel humore viscoso et seroso, per cerebrum diffuso, quorum multa refert exempla à variis auctoribus observata. Apoplexiam idcirco dividit, in sanguineam et serosam, ad faciliorem praxim.

Confitetur autem sibi non satis esse hanc divisionem: 1^o. quòd fuerint apoplexiæ quæ, post mortem, nullum satis conspicuum signum reliquissent, illas ad aliam, vel aliam speciem pertinere; 2^o. quòd plures senes vertigini diu obnoxii fuerint, ante apoplexiam, vertiginisque causam non posse à sanguine, vel sero, effuso, deduci, qui è contra soporosos affectus producant. Opiniones *Fracassati*, *Paranollique* confisus, ut et *Tulpii* observationibus, qui, tracheam apoplexiâ extinctorum, sanguine spumoso repletam, reperiit, affinis multum ipsi videtur hic morbus, cum syncope cardiaca, et catarrho suffocante, eòque magis quòd vasa pulmonum apoplecticorum, sæpè disrupta, vel summè distenta observentur.

Ad curam progrediens *Ettmuller*, potentissima medicamenta proclamat, durante paroxysmo, vomitorium, et venæ sectionem, quorum alium, vel alium, prorsus necessarium judicat.

Quanquam moneat præcavendum esse ne vomitu suffocetur æger, ad illum tamen perfugere jubet, quoties luxurians præsumitur lymphæ; in apoplexia, à

crapula; in senibus, in debilibus, in cachecticis, quibus omnibus nocere, venæ sectionem affirmat. Duplicem autem emetici dosim monet præscribendam esse, ob sensuum oppressionem, illamque solvere jubet in aqua spirituosa, ut aqua cinnamomi, ad potentiùs excitandum. Nititur hac in praxi, auctoritate *Henrici ab Heers*, qui, de apoplexia Germanorum, ob intemperantiam loquens, asserit inutilem illis ferè semper esse venæ sectionem, quâ vix unus, è centum, liberatur; unde nunquam Germaniæ doctiores illam præscribant. *Langii* etiam testimonium invocat, duos, vomitoriis, apoplecticos, se sanasse, asserentis. Perniciosum autem vomitum confitetur, in apoplexia sanguinea, ab impedito motu sanguinis; aut à suppressa qualicumque hæmorrhagia. Tunc, quàm citò venam scindere jubet. Non æqualem tamen videtur habere fiduciam in sanguinis educatione, ac in vomitu; nam, cum quadam oblectatione repetit *Celsi* effatum (LXXXIV), et *Pauli Barbette* huic remedio adversam opinionem (XCII).

Clysteres acres et suppositoria summoperè laudat, ante, et post sive vomitum, sive venæ sectionem; præscribit etiam artuum ligaturas, variaque excitantia, ex volatilibus, spirituosis, et aromaticis deprompta, linguæ, naribus, universo capiti, variis modis apposita, illorumque, ut et aquarum apoplecticarum, linguam et fastidiosam exhibet enumerationem.

Instante morbo, purgationem non adhibet, sed solum finito paroxysmo, et digestivis præparato corpore; tuncque etiam diaphoretica laudat. Probat, ad prophylaxim, cauterium nuchæ vel brachio, evacuantia, caputque et ventriculum corroborantia; nec parcus est, ut tunc mos erat, in describendis elixiriis et balsamis, anti-apoplecticis dictis.

Nimis systematicus auctor, in discretione morborum parùm accuratus, et nimiùs in usu emetici. Ve-

rum equidem est (ut aliqua dicam de affinitate quam percipere credidit inter catarrhum suffocantem et apoplexiam) illicò in apoplexia forti , magnam sæpè et difficilem fieri respirationem ; at , attentè consideranti in multis similibus insultibus , evidens fit non in omnes id accidere , sed frequentius initio naturalem ferè esse respirationem , gravioremque fieri , pro majori sensuum abolitione ; unde dici potest cerebri interitum , morti pulmonum præire , ut ingeniosi *Bichat* verbis utar , difficilemque fieri respirationem , prout deficit nervæ potentiæ influxus. Contrarium verò observatur in morbis primariis pulmonum , in quibus cerebri functiones extinguuntur , prout difficilior fit sanguinis per pulmones circuitus.

XCVIII. *J. Wepferus* (XXXVIII) apoplexiæ causam proximam declaravit , vel impeditum sanguinis per arterias in cerebrum influxum vel prohibitum , spirituum animalium , è cerebro , et cerebello , ad subjectas partes descensum ; noluitque loca principaliter affecta esse ventriculos , sed cerebri , et cerebelli substantiam.

Cùm , ut jam diximus , terebrationis in brutis vidisset exempla , ab hac operatione alienus non fuisset in hominibus , si effusi liquidi certa signa , locique indicia habere possibile esset. Præmissâ autem , in qualibet apoplexia , venæ sectione , subinde capiti apponere jubet sacculos quosdam , ex plantis cephalicis , in vino decoctis ; maximè laudat tincturam , vel potius confectionem , *traumaticam* dictam , compositam ex variis herbis , virtutis oppositæ , digestis in butyro maiali , expressis et servatis cum melle , externè , et internè adhibitam ; huicque potentiam tribuit , concreti , congelatique , in cerebro , sanguinis dissolvendi. Habet etiam julapium , ex aqua hederæ terrestris , veronicæ , chærephylli , betonicæ , cum sirupo viol. papav. errat. , et acido citri compositum ;

vel adhibet decoctum cornu cervi. Non negligit, interea, alvum subducentia.

Non arbitrabatur autem, quanquam cerebrum compressum fuit, semper nasci apoplexiam indelebilem, neque semper necessariam esse venæ sectionem, ad sanandos effectus hujus compressionis. In hujus testimonium, adducit historiam cujusdam mulieris quæ, ad patibuli supplicium damnata, per dimidiam horam, è furca pependerit, et tamen postea integrè convaluit, licet consanguinei mortam accelerare volentes, pedes attraxerint, pectus pugnis contuderint, pendulum corpus elevaverint, ut pondere suo delabens, laqueum fortius constringeret; et quidem tantâ vi, ut laquei rupturam vetiti judices, impediissent ne in crudeli hac pietate pergerent. Hinc delata in anatomico theatro, oleis, et spiritibus calidis, ejus cervicem, tempora, pedumque plantas, inunxerunt medici; aromata decocta, per clyisma injecerunt; undè, sequenti die, febris secuta fuit, simulque sensus interni, et externi, et loquela redierunt, solâ superstite vertigine, sensimque integra sanitas restituta est.

Ab hac igitur historia, virtutem aromaticorum, et anti-apoplecticorum, confirmat. Cæterum, vide in operibus clar. *Louis et Bruhier* varia exempla suspensorum, pedetentim redivivorum, postquam à laqueo liberati fuerunt.

Benemeritum judicabis *Wepferum*, quoad, de causa apoplexiæ, disquisitiones, non quoad therapeutica præcepta. Vana tibi videbitur ejus de terebratione cogitatio, in apoplexia, à causa interna, cum dubia admodum sit operatio, in morbo à causa externa. Cæterum non solus fuit hic auctor qui auxilium illud chirurgicum proposuerit. Simile proposuit, anno 1752, *Helmstadii*, quidam *Georgius Conradus Thon*, in Dissertatione inaugurali, de Apoplexia, præside celebri *Heistero*. Legitur in hoc opere, à pluribus, in

apoplexia , tentatam fuisse terebrationem , non sinistro cum eventu (LXIX). Idem auctor suadet applicationem ferri candentis , suturæ coronali , et etiam plantæ pedum , ex nutu *Dominici Mistichelli* , medici Itali , qui in opere , de apoplexia , Romæ , edito , anno 1709 , hoc auxilium , tanquam multis desperatis saluberrimum , descripsit. (vide *Œuvres de Chirurg. de M. Louis* , t. 2 , p. 162.)

XCIX. *Willisius* (XXXVII) constitutâ primum duplici apoplexiâ , quam alteram cerebro , alteram cerebello assignat , hunc morbum iterum dividit in *accidentalem* et *habitualem*. Causam accidentalis adstruit , ingentem continuitatis solutionem , in ipso cerebri medullio , subitam spirituum dissipationem , effusum in cerebrum sanguinem , sanguinis acritudinem , apostema diruptum , serosam colluviem. Habitualis autem apoplexiæ in causam accusat , narcoticorum , et aquarum ardentium , usum immoderatum , quibus cerebri , et corporis callosi opplentur pori , unde spiritus animales , maligno contactu dissipati , ac veluti acido vitrioli affecti , motui redduntur inaptissimi.

His inanibus verbis addit , cognosci cerebrum affici , si crebræ vertigines præcesserint ; cerebellum , si incubus , pulsus intermittentes , syncopæ , ac iteratæ lipothymia , prodromi fuerint. Posuerat enim *Willisius* , ut et multi post illum , ab uno cerebello , vitalia organa nervos accipere ; quod falsum , accuratior anatomes demonstravit (vide nostr. *Physiolog.* n^o. 332).

In curatione , multùm , et nimis operosus est. Jubet detinere ægotantem extra lectum , vel saltem erecto capite , si lecto illum committere necesse sit ; primo loco , enema injicere , ex speciebus hieræ , diacolocynthide , et infuso croci metallorum ; mox , phlebotomiam , quam indiscriminatim , necessariam judicat , absque mora instituere ; deinde , vesicantia , cervici , cruribus , et pedibus applicare , et uno tempore ,

frictiones dolorificas , per universum corpus , exercere ; interim , spiritus animales roborare et acuere , spiritu cornu cervi , et fuliginis , cum julapio cephalico. Post hæc , vomitum excitare præscribit , cum sale vitrioli , soluto in oximelle scillitico , vel infuso croci metallorum. Deinde propinat elixir vitæ *Quercetani* , spiritum lavendulæ , et alia similia. Naribus admovet spiritum salis ammoniaci ; suffitus ex galbano decocto in aceto acerrimo ; frontem et sinciput fovet aceto *bezoardico* ; cathartica repetit ; hirudines , temporibus , et retro aures applicat ; vertici abraso , ferrum candens imponit ; aliaque similia , absque discrimine , in usum proponit.

C. *Joannes Schenckius* , (*observ. med. l. 1.*) qui de omnibus morbis , antecessorum et coetaneorum observationes collegit , apoplexiam , in sanguineam , calidam , et in pituitosam frigidam , ex *Galeni* placito , distinguit , aliæque et aliæ causam , nimiam cerebri vasorum oppletionem accusat. Tamen , adversus *Galenum* (*LXXXVI*) probat , nihil in hac oppletionem similis esse phlegmoni , vel inflammationi , quòd in illa non sit febris , quòdque inflammato cerebro , succedat phrenitis , vel delirium , à quibus omnimodò differt apoplexia. Signa autem quibus apoplexia sanguinea distinguatur ab ea quæ ab humore frigido , ventriculos replente , causatur , maximè consideranda esse monet , quoniam utrarumque curationes non coincidunt , maximaque , in ægrorum detrimentum , errata , si omnia indiscriminatim fiant , committi posse.

Enumeratis his signis (è *Galeno* depromptis)positoque axioma (quod non semper verum est) , quoscumque morbos ex repletionem factos , curari evacuatione , jubet statim et copiosè mittere sanguinem ex brachio , repetereque operationem eâdem die , deinde , in usum vocare omnia revulsionum , et derivationum

derivationum genera , cucurbitulas scarificatas et non scarificatas , frictiones , ligaturas , compressiones , balnea ad extremas partes , hirudines , et post aures , et ad intra nares applicitas , clysteria acria , et temperata alvum ducentia.

Miraberis quòd , cùm , de necessitate legitimæ distinctionis , tam aptè disseruerit , unum genus curationis tantùm exposuerit ; sed dives imprimis est historiis , et observationibus , quarum quarta , quæ spectat quædam futuræ apoplexiæ symptomata , quibus ipse afflictus fuit , notabile profert exemplum excitantium utilitatis , in corpore exhausto. « Nos quoque , ait , » post annum luctum ex miserando dulcissimæ conjugis Apolloniæ obitu contractum , exhausti ; succedente etiam fratris morte , in tantam mentis , animique perturbationem , commotionemque incidimus , ut intensissimo capitis dolore.... vertigine et oblivione , adeò correptus sum , ut altiora loca conscendere , non nisi adminiculis , ne caderem , potuerim. Libri quoque , et calami scriptorii , nolenti mihi , è manibus sæpè elaberentur. Proinde , minimè vanâ conjecturâ de apoplexia successura , sollicitus fui. Exacto octiduo , ingens capitis dolor , cum sensuum perturbatione , et tremore me invadit ; in ea trepidatione , cùm pro tempore , nihil aliud ad manus esset , de spiritu juniperi , duo cochlearia , sumpsit ; cujus vi , ex sinistra aure , aquæ flavæ , quantum testa ovi capere potuisset , intra bihorium propulsum effluit ; accedente insuper totius corporis , maximè verò capitis , sudore profuso ; ex quo , capitis dolor , reliquaque apoplectica symptomata , confestim remissiora facta , et in dies mitigata sunt ».

Sequens historia , ex *Zacuto Lusitano* , intempestivæ venæ sectionis perniciem demonstrat. — Mulier Hebræa , cùm continuos quadraginta dies integros

jejunasset, Hebræorum more, et cæterum, cum postea mali succi cibariis vesceretur, in sensuum motuumque privationem incidit, pro cuius curatione, multa illico facta sunt, adhibito etiam cauterio actuale, ad suturam coronalem, et capite raso, illinitoque aquâ vitæ, oleo petroleo, flammâ etiam his accensis. Quibus remediis, mulier hæc, ad se aliquantulum rediit. Sed medicus ignarus, ad eam juvandam præsens, ex brachii sectâ venâ, sanguinis uncias octo, vel decem extraxit, unde mors brevè supervenit, non sine doctorum injuria.

Habes, è contra, in observatione à *calidis humoribus*, inter alia, exemplum, à medico Aulæ, de se descriptum, qui cum in hac Aula, largiori diætâ, in cibo et potu uteretur, incidit in varia apoplexiæ symptomata, quæ, calidis remediis, exasperabantur, quæque, tenuiori diætâ, evacuantibus, et refrigerantibus, tandem sanata fuere.

De improspere vomitu, sequentem habes historiam: Prætor quidam, amicos aliquos in cœnam convocaverat, quos inter et medicus accumbebat. In mediis epulis, dum anaticulæ alam serviret symposiarchus, derepentè apoplexiâ corripitur. Medicus, moribundo laturus opem, pennam poscit, quam oleo tinctam, in fauces et gulam usque dimittit, quo crudus cibus, et nondum in fundum delapsus, excutetur. Sed expirat brevè, vexatus, inter manus medici. Unde *Jason* hujus observationis auctor, medicum redarguens quòd non famæ consulisset, monet vomitum nunquam provocari debere, nisi quando æger ex aliqua parte jam recreatus, sensus mentisque tantillum habet, ut se ipsum paulisper adjuvare queat.

Plurimas alias apoplexiæ observationes tradit *Schenckius*, à variis causis: ex materia pituitosa frigida, cum oblivione, capitis gravitate, et dolore, tremore, longis somnis, præcedentibus, et jam à multo tem-

pore, morbum nuntiantibus; à crebro, et conferto sanguinis, à naso, profluvio; exinde tabescente universo corpore, et viribus magis, magisque decrescentibus; à vi caloris, potissimum æstiva; à flatibus; à vapore thermarum; ex carbonum fumo; ex alvi obstructione; ex fulmine, terræ motu; ex exaudito ictu bombardæ; ex alapa.

Curatas apoplexias enumerat, alias naturâ, alias venæ sectione; alias, aquâ distillatâ è nucibus moschatis; alias cucurbitulis, quas *Rhasis*, *Mesues*, et *Fracastorius* multùm faciebant.

CI. *Sydenhamius* aliàs adeò clarus, tantùm in suis *Processibus integris*, de apoplexiâ scripsit, et quidem negligentius. Jubet indiscriminatim, quamprimum sanguinem mittere ex brachio, ad uncias duodecim; ac postea, ex venis jugularibus, ad uncias octo; deindè statim propinare vomitorium, ex infuso croci metallorum, ad unciam unam et semi, vel ad uncias duas. Emplastrum epipasticum satis amplum et forte, cervici applicat: sedentem tenet ægrum in lecto, nec stragulis nimis obtutum; spiritum salis ammoniaci naribus admovet; et finitâ vomitorii operatione, subinde exhibet cochlear. 3 vel 4 mixturæ aquarum anti-apoplecticarum, vel cochlear. 1. singulâ horâ dimidiâ, spiritûs lavendulæ, compositi; monendo tamen cautè agendum esse cum cardiacis. Ad præcavendam recidivam, pilulas purgantes exhibet, ut et nervina dicta, et corroborantia.

CII. Seculi XVII. finem adepti sumus, initiumque sequentis. Huc usque de humoribus tantùm sermo fuerat, vixque de solidorum actione cogitabatur; quamquam balnea, fricationes, exercitationes, unctiones, ustiones, incisiones partium usque ad ossa, ablutiones, capitis purgationes per sternutatoria, ejusdem lotiones, vellicationes, succussiones, ac hujus generis remedia in solidis corporis humani partibus rem suam primam

exercentia, in morborum curis, ab *Hippocrate*, *methodicis*, aliisque priscis, maximè adhibita, satis clarum facerent hos artis magistros, de omnibus hominem componentibus, solidis, et fluidis æquabiliter sentiisse. Primus, *Baglivus*, cum amicis *Pacchiono* et *Santorino*, medicos admonuit de solidorum potestate, ann. 1692, suo specimine de *fibra motrice*, quod *Friderici Hoffmanni*, aliorumque, lucubrationibus ansam dedit, quodque in methodo perspiciendi et curandi apoplexiam, quasdam mutationes procuravit. Hanc tamen suam novam theoriam nondum apoplexiæ applicuerat *Baglivus*, cum de illo morbo locutus est, tempusque huic ingenioso viro defuit, immaturè prærepto.

Baglivus ergo (XXXIX et LIX), usitatam apoplexiæ distinctionem quoque usurpavit, in sanguineam et pituitosam, quarum tamen tradere neglexit signa specifica. Arcanum dicit esse, in sanguineis, phlebotomiam, post cujus usum vidit statim excitatos ægros, et exinde in melius abire. In usum habebat venæ sectionem instituere in ipso brachio paralytico, quòd, ut arbitrabatur, impeditus fluidorum circuitus, in affecta parte, celerius tunc restitueretur. In pituitosis, è contrà, emeticum, aut purgans vehemens, statim jubet administrandum, cæterisque anteponebat pulverem *Cornachini*, et infusum croci metallorum cum vino, à quo, singulis mensibus, hausto, fuisse, ait, qui apoplexiâ pituitosâ liberati sunt. Clysteres etiam commendat, sed exiguâ quantitate injectos, ut retineri possint.

Abstinet loqui de utilitate vesicantium, quinimò narrat se observasse in xenodochio, anno 1694, hiemali tempore, Romæ, quòd, quando apoplexiæ erant gravissimæ, et jam confirmatæ, vesicantia non admodum conferrent, imò, omnes ferè tales ægri interirent.

Mentionem facit catochi , in ipsa accessione febris intermittens aut remittens , supervenientis , tanquam absolutè mortiferi phænomeni , ubi , statim misso sanguine , vel purgatione institutâ , pro indicatione utrumque , in secundo paroxysmo redierit. Talis equidem erat ægrotantium conditio , ante cognitum corticem Peruvianum , et in hoc saltem , propitior facta est medicina erga Genus humanum , à laboribus verè immortaliū virorum , *Torti* , *Mercati* , *Mortoni* , *Werlophii* , etc ; ut rarò nunc ex perniciosa secunda accessione , ægri moriantur ; mihiq̄ uno jam successerit , saltem viginti similes catochos liberasse. Hanc , ut obiter dicam , inefficacem , quinimò adversam , *Baglivi* methodum , usitatam adhuc vidi Massiliis , anno 1794 , cū in consilium seniorum vocarer ; et ex hoc mihi liceat gloriari , me unum ex primis fuisse , qui in hanc civitatem , hujusque nosocomium , illust. *Torti* therapeiam introduxerunt.

CIII. Magnus *Boerrhaave* , Galenicam doctrinam , intemperantioribus (ut solent nova) *Animistarum* et *Solidistarum* propositis oppugnatam , ingenii viribus relevare tentavit , chemicis adminiculis , et acutiori rerum indagatione , illam fulciendo.

Parere apoplexiam docet , quæcumque impedire possunt integrè vel multū , effluxum liquidi cerebrosi , spirituosī , in organa sensuum , motuumque voluntariorum , et vicissim , hujus refluxum ab his organīs in ipsum sensorium commune : et sunt : 1^o. nativa corporis fabrica , caput magnum , collum breve , et sæpè sex modo vertebri exstructum ; corpus valdè crassum , et pingue ; temperies plethorica ; cacochymia pituitosa multū excellens.

2^o. Quæcumque sanguinem , lympham , materiam spirituum ita mutant , ut per arterias cerebri liberè ire non possint , sed impacta hæreant ; ut sūt polyposæ concretiones , spissitudo sanguinis , vel pituitæ , etc.

3°. Quæcumque arterias ipsas, vasa-ve nervea cerebri ita comprimunt, ut cruor, spiritus-ve transfluere non possint; plethora; cacochymia replens; tumores quicumque; nimia velocitas cruoris in caput determinata, dum per inferiora arteriosa vasa, impeditur circulatio; effusi humores sanguinei, ichorosi, lymphatici.

4°. Omnia quæ cerebri vasa ita erodunt, ut exiens liquor, aggestus, compressu suo fornicatas cerebrosum nervorum origines lædat. Talia sunt: serum acre in hydropicis, sanguis in plethoricis; acrimonia atrabiliaria, in melancholicis, scorbuticis, podagricis; quæ vulgaris causa intra 40^{um}. et 60^{um}. ætatis annum agens; quæ omnia latentia, per causas moventes excitata, sæpè subito morbum hunc creant. Hujus ergo prænuncia, ex natura materiæ prius notæ, et cognitæ causis excitantibus, peti debent. Maximè his, animi affectus summi, et intensissima studia nocent.

5°. Venena quædam, quæ tamen, vel, ex vi trium ultimarum causarum agunt, vel potius pulmone prius, quàm cerebro nocent.

Apoplexiæ divisionem admittit *Boerrhaavius*, in sanguineam, et pituitosam, ab humore crasso, et viscido; non tamen hanc divisionem perfectam judicat, cum et serosa, et atrabiliaria, et polyposa sit, et alia.

Levem, ait, solvi ope naturæ: superveniente sudore multo, æquabili, rorido, calido, levante; urinâ multâ, crassâ; hæmorrhoidis largis, diu fluentibus; fluxu menstruo restituto; alvi fluxu; febre magnâ.

Curationem generalem hujus morbi nullam dari posse, docet, variamque debere esse pro varietate causæ; vix autem arti fidet, cum jam adolevit apoplexia. Quare ut prævideatur per signa cuique causæ propria, potius commoratur, quàm in auxiliis, ubi præsens est.... Optimum, heu! si plus in cavendos,

quàm in curandos præsentis morbos, vocarentur medici! si quoque, non ex improvise, sæpius apoplexia hominem corrueret.

Ergò, in lenta, inerti, frigidaque causa apoplexiam minitante, opitulatur derivatione in alia, et opposita loca, atque evacuationibus universalibus; quæ fiunt: *derivatio*, vapore, fotibus, balneo inferiorum partium, suctione, scilicet, cucurbitulis, epipastico, rubefacientibus, caustico, fonticulo, setaceo, frictione, ligaturâ determinatâ venis majoribus, pedibus, cruribus, femoribus, applicatâ; apoplegmatismis; sternutatoriis. Fit *universalis evacuatio*, vomitoriis, purgantibus validis, acribus clysmatibus, scarificationibus, venæ sectionibus.

Incerti tamen aliquid hæc secum ferre monet auctor; et paulò post, ubi de præsentis malo loquitur, confitetur in usu horum omnium, augeri sæpè morbum, materie magis motâ et impactâ, per omnia stimulantia, viribusque projectis per evacuantia.

In apoplexia à sanguine distendente, futura, vel in actu, illicò confugiendum docet ad ea quæ velocissimè inanire, resolvere, avertere queunt; et sunt: larga, cita missio sanguinis, et quidem ex jugularibus venis, quæ, pro re nata, repetitur; tum purgans *antiphlogisticum*, magnâ copiâ datum, et aliquoties repetitum, ut ferè assidua diarrhæa excitetur, clysmate satis acri etiam determinata; potus refrigerans assiduò exhibitus; assiduò quoque simul revellentia fortia, in usum vocata, donec malum superatum sit; vitatis summoperè, calore externo, medicamentis validè stimulantibus, moventibus, calefacientibus; atque decubitu declivi, et supino.

Apoplexiam à prædominio lymphæ extravasatæ ortam, faciliùs tolli, ait *Boerrhaavius*, omissâ, ut potè hic ferè nocente, missione sanguinis; datis hydragogis fortissimis, statim ad alvum determinatis;

tum dissipantibus applicatis , maximè vesicatoriis largissimis , diu apertis , victu exsiccante ; fortibus epipasticis , fonticulis , setaceisque.

CIV. Ill. *Van-Swietten*, magistri doctrinam commentans , huic non omnino assentit , cùm , ex *Willisiana* doctrina (XCIX), cerebellum exceperit à communi labe (necessitate scilicet rationem reddendi pergentis adhuc vitæ cordis et pulmonum), confiteturque cerebellum insigniter lædi posse , vitâ superstite , et functionibus vitalibus non admodùm vitiatis.

Emetici usum ferè improbat : quanquam enim fateatur vomitoriorum usum convenire posse in hac morbi specie , ubi corpus turget lentis et pituitosis humoribus , et pituitæ vomitus frequens sæpè adest , interim tamen cùm ipso actu vomendi , humores magnâ copiâ et impetu versus caput ferantur , aliquid incertî habere existimat , tutioraque judicat purgantia , quæ valida esse debent. Confitetur tamen apoplexiæ causam excitantem , quandoque hæere in ventriculo , quam ergò æque ac per vomitum , per alvum expellere convenit ; additque noscere se talem casum contigisse celeberrimo viro , qui , in consortio amicorum , subitò incœpit oculos hinc inde convertere , mox obmutuit , et apoplecticus cecidit. Dum conclamatum crederent summi in arte viri , qui aderant , post quadrantem horæ , nullo tentato remedio , præter sanguinis missionem , vomuit , præter contentos in ventriculo cibos , ingentem copiam pituitæ , et quidem tantam , quantam humanus ventriculus capere posse , vix credi poterat. Statim redierunt sensus et motus , et blando somno reffectus , sequenti die , omninò sanus fuit. — An , ad illas *Sennerti* (XXXIV), hæc observatio non revocanda est ?

In comment. ad § 1035 , venena quæ apoplexiam producunt , dum in ventriculo hærent , prompto vomitorio excutere jubet ; eoque scopo commendat , ut

illicò operantia, vitriolum album, ad dragmam dimidiam, in unciis aquæ duobus dilutum, vel tabaci infusum.

Fridericò Hoffmanno assentit, de theoria spasmorum apoplexiam producentium (vide n^{um}. sequentem), quanquam de illis *Boerrhaavius* nullam mentionem fecerit.

Disputat an in hac specie quæ lentum, glutinosum, pro causa agnoscit, sanguinis missio prodesse possit? et fretus auctoritate plurimorum qui illam instituunt, sed moderatam, et cum cautela, non omninò improbanda ipsi videtur, si vires adhuc constant; eo imprimis scopo, ut tutiùs postea, acria stimulantia applicari possint, cum minori motu rarefactionis subitæ humorum, quæ in hoc casu, nocere posset. Ipsi videtur malè adscribi mortem venæ sectioni, dum vi toties incurabilis morbi, æger perit; tunc enim mori posse post venæ sectionem, non verò propter illam, quæ bina quàm maximè distinguenda sunt: tandem, in debilioribus hominibus, sanguinis detractionem minuere quidem vires vitales, non tamen certam mortem inducere. — Nos autem, pace tanti magistri, in cuius verba olim nimis credidimus, inanem non adeò iudicamus sanguinis, etiam parcâ quantitate, educationem, in corpore exhausto, vel cachectico; cum non unâ vice observaverimus à simili inutili venæ sectione, ex promptu malum in pejus abire; potiusque arbitramur ægrum sorte, quàm medicinâ interire, eò magis quòd ignotum adhuc habeamus, quò tendere possint vires vitæ non exinanitæ.

Tutiùs arbitratur, antequàm scindantur jugulares, prius sanguinem extrahere, è brachio, vel pede, postea è jugularibus, si repetitâ sanguinis missione opus sit. Timet enim ne depletis prius cerebri venis, major quantitas sanguinis quàm versùs attrahatur.

Demonstrat, in § 1033, et 279, in vulneribus

capitis, largâ sanguinis missione, et evacuatione alvi, depletas venas iterum in se recepisse extravasatum in cavo calvariæ sanguinem, quod non admittit in apoplexia. At, ex observatis (LII) conjectare licet quid simile evenire in hoc morbo etiam posse, dummodò ab erosione, producta non fuerit effusio.

Damnat acria, stimulantia medicamenta, et aquas anti-apoplecticas dictas, præsertim in plethora sanguinea.

CV. *Fridericus Hoffmannus* (*med. syst. t. IV. pars 2^{da}. et 4^a.*) tres apoplexiæ agnoscit gradus, quorum summus, et nunquam non lethalis, ab hæmorrhagia cerebri pendet; alter gradus tollit sensuum motuumque voluntariorum, ac rationis usum, non autem vitales prosternit actiones, nec in mortem semper terminatur, sed plerumque in hemiplecticos transit affectus; tertius denique, ac levissimus, quem apoplexiam spasmodicam nominat, iisdem, ac secundus, se prodit notis, sed differt, quòd breviori tempore plerumque debelletur, et rarius in paralyticos abeat affectus. Alios, et alios, ab impedita liquidi nervei subtilissimi secretionem, vel ab intercepto ejus influxu, compresso cerebro, pendere arbitratur.

Qui summum apoplexiæ gradum incurrunt, in terram concidunt, subito, omni mentis vi, ac cogitatione, sensu quoque ac motu orbiati; cuncta membra sunt languida, et flaccida; lingua obmutescit; palpebræ suspensæ, et os hians comparent; deglutitio sublata, et alvus et vesica, non rarò excrementa spontè dimittunt. Facies tumet, ob distenta vasa; oculi prominentes, rigidi, vitrei, lacrymantur. Rupta in ore, naribus, ac auribus vasa, sanguinem interdum fundunt, maximè post mortem, quæ plerumque intra paucas horas, ut *Malpighio* (XXXIX) evenit, vel ad summum, quartam diem locum habet.

Inter varias causas, jam toties à nobis memoratas,

quæ hanc cerebri hæmorrhagiam producere possunt, spasmum, ut eximiam, *Hoffmannus* annumerat; qui ab externis, remotisque à capite, corporis partibus, sanguinem redundantem, in plethorico homine, propellit ad caput debilitatum, dispositumque. Spasmum, in hæmorrhagiis ferè omnibus, atque etiam, in hac, præstò esse, testantur, ut ait auctor: juncta magnitudini, pulsûs durities, et antecedens extremorum refrigeratio, nec non ille quem quidam in artubus sentiunt, formicationis sensus. Atque etiam, hanc ob causam, fieri censet, quòd, experientiâ teste, cerebri hæmorrhagiam plerumque incurrant, qui spasms, in abdomine maximè, aliquando fuerunt detenti, qui scilicet, colicis passionibus, præsertim spasmodicis, hypochondriaco malo, doloribus ex calculo vesicæ, item cistidis felleæ, nec non qui diurnâ alvi stricturâ laborarunt.

Primum et magnum auxilium, ubi adhuc restat aliqua salutis spes, cum omnibus optimis medicis, proclamat *Hoffmannus* venæ sectionem, quam citam jubet esse, amplam, et ex magno foramine. Arteriotomiam laudat, et sectionem jugularium. Mavult tamen ut priùs celebretur in pede, postea in brachio, seu collo; ne si secus fit, dato in parte superiore exitu, ex inferioribus, et corporis ambitu, ad caput major invitetur affluxus.

Clysmata, et alvum ducentia commendat, sed non drastica. Excitantia variis corporis partibus applicat, ut et rubefacientia, vesicantia, et etiam cauterium actuale, ad quartam colli vertebam. Pedes jubet à frigore defendere. Prohibet si deglutiendi facultas superest, spirituosam et volatilia. At, (quod dolendum in humano ingenio!) eodem tempore, laudat diaphoretica cinnabaro, succino, nitro, antimonio diaphoretico, liquore c. c. cum tantillo tartari stibiati, ex

aquis congruis ; quæ pari modo , stimulantia , calefacientia , et irritantia , quisque judicabit.

Secundum gradum apoplexiæ fieri arbitratur *Hoffmannus* , à seri in cerebro secessu , quem consequitur hemiplexia , et cum quo vita quidem servari potest , sed misera. Hæc nascitur , inquit , cùm sanguis quidem cum impetu , nimiâ copiâ congeritur ad caput , non tamen vasa perrumpit , sed propter diuturnam tantum stagnationem , serum per poros secedit , ac descendens , vel ad cerebri basim , vel ad spinalis medullæ alterutrum latus , eidemque incumbens , nervorum influxum intercipit. Hanc plurimum etiam à spasms fieri apoplexiam , autumat auctor , et quidem aliqua cum ratione , cùm nulla ferè sit , primo visu , differentia , inter affectus soporosos et apoplexiam , nisi quòd illa repentè accedat ; vixque hanc promptitudinem , ab alia causa , quàm à spasms , repetere possis.

Venæ sectionem instituere , in hac apoplexiæ specie , jubet quoque *Hoffmannus* , si mox post primam mali invasionem , accersitur medicus , pulsumque celerem , cum facie rubicunda deprehendat. Quam regulam admodum incertam , ultra videbimus.

Properat deinceps ad clysteres paulò acriores et stimulantés , ex herbis aromaticis , cum salibus neutris. Instituit etiam pediluvia , ex aqua tepidiori , herbisque nervinis , cum floribus chamomillæ , summitatibus millefolii , cineribusque clavellatis , parata , quibus pedes profundius immittuntur.

Si , post venæ sectionem supersunt spasmi partium internarum , et humorum veluti febrilis ebullitio , hos jubet temperare diaphoreticis , et præcipitantibus pulveribus , superiùs nominatis , quibus addit suum liquorem anodinum mineralem , spiritum volatilem tartari , etc.

Si perseveraverint sopor , et stertor , se in usum fuisse , ait , summo cum fructu , emeticum propinare ,

in forma dilutiori , analepticis junctum , quo excitabantur motus , et ad sensuum , rationisque usum , redibant ægrotantes. Ammoniacum naribus admotum , sternutatoria , vesicantia , nucae ; et in subjectis sensibilibioribus , pedibus tantum ; et tandem purgantia balsamica , et resinosa , in frigidis , et in veteratis , ut et diaphoretica , in usum pro re , ubertim , germanorum more , vocabat.

Magnus , in theoreticen , medicus , cujus opera nimis unquam possunt esse diligentius evoluta !

CVI. *Morgagni* (XL et seq.) , in epistolis , et in adversariis anatomicis , venæ sectionem , ex latere sano , in cura apoplexiæ , plurimum facit. Venarum quoque occipitalium incisionem eximiè collaudat , eò quòd illæ venæ , in cerebrum , cum utroque laterali sinu communicent , spesque sit , earum sectione , avertere sanguinem quem in sinus convecturæ erant , sicque reliqui sanguinis qui per eosdem sinus progreditur , copiam minuere aliquantum , hujusque motum augere , non sine emolumento. Cùm autem harum venarum trunci , profundius siti , et nonnunquam in plures , minoresque ramos divisi reperiantur , cucurbitulas , et crebras , altasque incisiones , antefendas esse putat. Quo quidem modo , *Zacutus Lusitanus* bis apoplecticos se sanasse refert. Hæc fuerat Arabum , et priscorum , ut vidimus , praxis. At utinam optimæ spectativæ doctrinæ promissis responderent eventus ! Quod est remedium quod non juvasse proclametur ; cum tamen , non in paucis (quæ naturæ medicatricis sæpè sunt opera) sed in multis , medicamentorum virtus exploratè judicanda sit !

In *epist. IV. ad n^{um}. 14* , *Morgagni* redarguit medicos qui docent , inutilem , imò noxiam , in serosa apoplexia esse venæ sectionem ; id negandum non esse si , ab aqua duntaxat , apoplexia sit ; ubi deficit sanguis , et abundat serum ; si ex malo corporis habitu

apoplexia supervenerit; in illis senibus ac debilibus; qui apoplexiâ corripiuntur, ab usu interno, incauto, aquarum mineralium: ubi verò non multam aquam parere apoplexiam conjectatur, augerique constrictionem à sanguine vasa distendente, constrictionem hanc totò minuere, qui sanguinem detrahit. Quotiescumque igitur turgidula vasa esse conjici potest, sanguinem mittere non differt. Arbitratur etiam, cum prælaudato *Hoffmanno*, sæpè in convulsivis hypochondriorum affectibus, constrictis sanguiferis in ventre vasis, illa propterea quæ ad cerebrum attinent, magis sanguine distendi. Hâc conjecturâ motus, se, cum felici exitu, in simili apoplexia serosa, sanguinem audacter misisse profitetur.

Docet adversus *Petrum Salium*, et alios, qui, ad internoscendam et distinguendam apoplexiam sanguineam, ab illa quæ fit à frigidis humoribus, non rectè hujus ultimæ præsentiam existimari, à solis consideratis, an æger sit senex, si mulier, si non rubor, sed pallor in facie sit: ostendit enim, et suâ, et *Valsalvæ*, et *Lancisii* observatione, seniores multos apoplexiâ verè sanguineâ corripì, pluresque, hæmorrhagiâ, sive naturali, sive arte factâ, sanatos fuisse; ostendit quoque, plures à sanguine apoplecticos, cum facie pallida fuisse; et plures, à serosa, correptos, rubentem vultum habuisse.

Non laudat sternutatoria, quòd rupturæ vasorum, liquidorumque effusioni magis faveant.

Vomitoria quoque acriter improbat, præsertim in apoplexia sanguinea, eò quòd à conatibus, et concussionibus, major ad caput fiat sanguinis affluxus, augeaturque periculum vasorum disruptionis, et sanguinis effusionis. Empiricos vocat qui vomitum cieunt.

Sapienter monet ut ad apoplecticorum vesicam semper attendatur, cum, eâ paralyticâ, à resorpta, et omnia vicina corrumpente urina, malum augeatur.

CVII. *De Haen* (XLVIII), causas proximas apoplexiæ agnoscit ea omnia quæ cerebrum comprimunt, ut plethora, cacochymia, contusio, effusus sanguis, vel serosus humor. Duas alias (minus probatas) causas memorat quoque, à defectu, scilicet, materiæ secretionis liquidi nervei, et à frigido, glutinoso sanguine, quas dicit immedicabiles.

Non impossibilis ipsi videtur effusorum liquidorum reassumptio, neque, hujus medio (CIV), omninò desperata hominis salus, si sufficiens circuitus per minus compressas partes, intereà temporis detur; sique partes minus pressæ, nimiâ humorum copiâ non obruantur, dum per compressiores transire vetantur: sin contra, ut pereat æger, necesse esse ait. Imò, fortè resorberi posse materiem, auctor est, sed eroso de vase, novo exstillante liquore, causam proximam redintegrari. Unde intelligitur cur nonnunquam per paroxysmos adoriatur lethalis demum apoplexia (VII et XXIV).

Revellentem dictam methodum, à priscis, et à *Boerrhaavio* commendatam, unicam esse profitetur, quæ in apoplexia, à compressione prodesse possit; unde eandem quam *Boerrhaavius* (CIII), therapeutiam commendat.

Ex contemplatione tamen causarum proximarum, nihil perniciosius emeticis, in apoplexia, judicat; *Sydenhamium*que vituperat, quòd suâ auctoritate, hanc methodum fulcierit (CI).

CVIII. Celeb. *Tissot*, (*Avis au peuple, t. 1.*) apoplexiam, quam *raram in ruribus* dicit, in sanguineam dividit, et serosam. Noscitur prima, quòd homines aggrediatur fortes, robustos, atque eximiè sanguinosos. Observantur in insultu: pulsus tensus, plenus, elevatus; vultus ruber, et inflatus; collum turgens; respiratio difficilis, et fragosa; aliquoties quidam vomendi conatus. Noscitur secunda, quòd in

hanc incidant minus robusti, quorum sanguis aquosior est, et solidorum laxa compages. In his, vigente morbo, observantur: pulsus minus fortis, minusque elevatus; facies minus colorata, quinimò aliquoties pallida; faciliior respiratio; plenior etiam vomendi conatus.

In utraque, jubet clarus vir, elevatum, quantum licet, tenere ægrum, capite denudato, aeri frigido exposito, colloque omnino ab integumentis libero.

In apoplexia sanguinea, quàm citò venæ sectionem, in brachio instituit, largo vulnere, ad duodecim, vel sexdecim sanguinis uncias, iterareque præcipit, pede vel brachio, ter vel quater, in trium, vel quatuor horarum spatio, pro indicatione. Clysterem postea administrat, ex decocto emolliente, cum oleo et sale communi, huncque iterare jubet, singulis tribus horis. Pro potu, si deglutitio libera sit, largus haustus aquæ frigidæ, nitratæ, ad motus humorum compescendos.

Liberioribus factis pulsu et respiratione, vultuque minus colorato, purgantem exhibet, ex tamarindis et manna, cum nitro; horumque defectu, unciam cremoris tartari dilutam in sero lactis, quod remedium semel ipsi optimè cecisse declarat.

Spirituosa quælibet, atque excitantia, et commoventia damnat, ut salia volatilia, frictiones, agitationes, etc. Laudat crurum ligaturas, quòd sanguinis portionis ad caput ascensum cohibeant.

Emeticum prohibet, quòd aliquoties mortem attulerit; quin etiam monet, ne aquâ tepidâ, nausæ fauveatur: cum vomendi conatus non à saburra ventriculi, sed à congestione cerebri oriantur; quæ augetur his conatibus congestio, sanguinis venosi cerebri re-ditu impedito.

In serosa apoplexia, non omninò venæ sectionem excludit, sed sæpissimè inutilem esse monet; saltem
ferè

ferè nunquam iterari debet ; quin , pulsu vacuo , et laxo , lethalem illam esse posse auctor est.

Vesicantia , de quibus silet in sanguinea apoplexia , illicò suribus apponere , in serosa , jubet. Clysterem acrem ex decocto gratiolæ , vel senæ , etc. cum sale et sapone , bis in die , vel sæpiùs administrat. Purgat cum pulvere , ex jalapa , sena , et cremore tartari , ana , grana triginta ; quam dosim jubet repetere singulis tribus diebus. Pro potu , infusum saturatum foliorum melissæ.

Utilissimos sudores esse , ait , per plures dies protractos , ad solvendam subsequentem paralytim , illisque favere præcipit , si huc natura vergit , infuso leviter diaphoretico , v. g. cardui benedicti. E contra , sanari aliquoties , ait , pedetentim , paralytim à sanguinea apoplexia , refrigerantibus , alvum ducentibus , atque tenui diætâ ; atque in hac specie , calidis medicamentis , recidivam produci posse testatur.

Fluxionarios motus egregium hunc medicum optimè cognovisse , ejus praxis demonstrat.

CIX. Clariss. *Maximil. Stoll* (XLIX) , cùm , in sectione cadaverum , observasset , multi seri effusionem , vasis cerebri sanguine distentis ferè semper comitari , serosas has dictas apoplexias , ad sanguineas potiùs revocari debere existimavit , quarum sanguinis accumulatio , seri effusi unica causa sit. Laudat idcirco illustrem *Morgagni* , quòd docuerit (CVI) , necessariam esse venæ sectionem in quibusdam apoplexiis serosis , in quibus scilicet , vasorum cerebri plethoram suspicari licet.

Confitetur tamen veram esse serosam apoplexiam , cum qua lethaliter se ducit venæ sectio ; hæc est , quam precesserunt diuturna cacochymia , potus aquarum acidularum immoderatus , antiquorum in suris ulcerum cicatrisatio , diuturna catarrhalis complexio , tempestas frigida et humida ; senectus tandem ; non

illa vegeta , quæ juventute sæpè potior est , sed senectus debilis et demissa.

Ad hanc sanguineam vasorum cerebri distentionem , quæ seri effusionem incitat , referri meretur apoplexia quâ sublato vidit *Stoll* , tres ægrotantes hydropisi quam plethoricam vocat. In his , distenta sanguine vasa , in cerebro tandem , eandem quam in aliis cavis , seri effusionem produxerant.

Hemiplexiam à bile , observavit , emeticis sanatam. In hac , venæ sectionem primùm instituerat , ob pulsum plenum , atque elevatum : sed pœnituit , quod nullum inde habuerit æger solatium ; cùm nauseosus , intereà , factus fuisset , ope emetici bis repetiti , et quorundam topicorum , brevè inter sanos rediit. Nascitur hîc , auctori , occasio profitendi , frequentius se observasse sympathicos cerebri morbos , à ventriculo et intestinis , quàm idiopathicos.

In sua diligenti , colicæ saturninæ , descriptione , multos hâc affectos , convulsos , epilepticos , apoplecticos , se vidisse testatur , in variis morbi temporibus ; et , quanquam pulsus durus et tensus semper observaretur , malè tamen agebatur cum venæ sectione. Hoc habuit notatu dignum hujus morbi curatio , quòd magnis opii dosibus imprimis levaretur (13 grana opii per noctem , aliquoties *Stoll* administravit) : hoc autem medicamentum non solùm absque incommodo sumebatur , sed etiam sensuum soporem , et artuum languorem dissipabat , atque capiti lævitatem , animo alacritatem , atque memoriam procurabat. Delirium cui vana fuerat sanguinis eductio ter repetita , illicò opii usu sedabatur. Expertus erat *Stoll* in usum hujus medicamenti pergere necesse esse , usque dum pulsus vibrans , mollis tandem fieret.

Thermas , frequenter apoplexiam produxisse vidit , ut etiam idem notaverat celeb. *Bordeu*.

Discimus in hujusdem auctoris materia medica ,

illum vesicantium usum improbasse, in apoplexia sanguinea.

CX. Illustris *Cullen* (*Synops. nosolog. method. et Elem. med. pract.*) ad classem *Nevrosium*, et ad ordinem *Comatorum*, apoplexiam refert; illamque definit: *motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum sopore plùs minùs profundo, superstite motu cordis et arteriarum.* Uno eodemque genere complectitur, carum, cataphoram, lethargum, catalepsim, hydrocephalum acutum impuberum, ecstasim, asphyxias varias, et similia, quæ nonnisi apoplexiæ leviores ipsi videntur, nec vel respiratione, vel excitatione, satis accuratè inter se distinctæ, quasque, quoad pathologiam et praxim, eodem modo considerandas arbitratur.

Cuilibet autem ad rectam morbum historiam attendenti, clarum fiet quantum manca sit hæc artificialis classificatio, et quantâ utilitate emineat simplex singulorum descriptio. Præter differentias quas in hujus operis capite 2^{do}. notavimus, inter singulos affectus soporosos, ex ipsius auctoris penu extrahere possumus indiscriminatim morbos, in eodem genere, qui illam veritatem confirmabunt: sit, v. g. hydrocephalum acutum puerorum, quem ab hydrocephalo chronico discernere convenit. Hunc, optimè, sequentibus, *Cullen* describit: *primum lassitudine, febriculâ, et dolore capitis; dein, pulsu tardiore, pupillæ dilatatione, et somnolentiâ afficiens.* Quantum inter hujus, et apoplexiæ characteres, discrimen!

Extemplo sæpissimè accidere apoplexiam agnoscit, aliàs verò, anterioribus signis prævideri morbum posse; notatque stertorosam respirationem, acutioris apoplexiæ, non quidem semper comitem esse.

Causam hujus proximam declarat quidquid potentia nerveæ in reliquas partes influxum interrumpere valet sive compressione, sive alio quocumque modo,

quo hujus destruatür mobilitas. Ictus, vulnus, tumores, plethora vasorum cerebri, effusio sanguinis, vel seri, communes recensentur compressionis causæ. Mobilitatem nerveam extinguunt, venena, tum ex familia fluidorum elasticorum, tum ex metallorum, et narcoticarum plantarum progenie; spiritus alcoholisati, frigus, concussio, electricitas, animi fortia pathemata. Has ultimas causas non semper compressione agere, ex hoc deducit, quòd sufficiens, post mortem, non observetur causa compressionis: his adjungit apoplexias, ab epileptico, et ab hysterico insultu, tum illam quæ atonicæ podagræ frequenter succedit. Cùm autem objici possit, etiam his in circumstantiis, frequenter observari liquores effusos in cavitatibus cerebri; respondet: illos pro causa mortis quidem, sed non pro causa morbi considerari debere: cùm enim singulariter retardetur motus sanguinis, in cerebrum, ab omnibus debilitantibus, facilis inde nascitur effusio, vel ab exhalatione aucta, vel etiam ab aliqua distractione; quæ tamen effusio non existebat ante morbum.

At difficultates quamplurimas patitur hæc doctrina: 1^o. inter causas debilitantes enumeratas, variæ sunt quorum effectus ad asphyxiam potiùs pertinent quàm ad apoplexiam (XXXIII et LVIII). 2^{do}. Immeritò in venenorum, fulguris, et frigoris cœtum, allegitur apoplexia, epilepsiæ vel hysterico morbo succedanea (LVII); 3^o. quotidianis observatis repugnat dicere alcohol, et opium vim debilitantem habere; si quidem, è contra, accelerari ab illis motum sanguinis, caput versùs, omnibus compertum est.

Inter causas quæ nimix vasorum cerebri distensionifavent, effusionique subsequituræ, annumerat *Cullen*, 1^o. collum brevius; subjecta vidit, in corporum apoplecticorum sectione, quibus deerat vertebra in collo. 2^{do}. Aortæ, vel cavæ abdominalis compressionem; vidit enim apoplexiam productam à tumore steatoma-

toso , aortam abdominalem comprimente ; 3°. omnia quæ obstant libero pulmonali circuitui , ob magnum inter pulmones et cerebrum commercium , cum elevatio et descensus observati in cerebro , simultanei sint cum motibus respirationis. His et aliis consideratis , distinguit auctor plethoram cerebri , quoad arterias , et quoad venas.

Arteriarum plenitudo , acceleratusque in his sanguinis motus , sanguinis effusionem producere queunt , disruptis vasis , vel exhalantem facultatem augere ; cui si sit impar absorbentium vis , brevè sufficiens erit ad compressionem , accumulatum serum. Familiaris hæc juvenibus , apoplexiæ causâ.

Insigniores venarum plenitudo , atque resistentia , à quadragesimo circiter ætatis anno (ex observatis clar. *Clifton-Wintringham*) , unde liberiori sanguinis arteriosi ingressui opponuntur , effusionis et auctæ exhalationis eò major causa esse possunt , quòd tunc difficilior fiat absorptio.

Potest ergo , in hac *Culleni* doctrina , fieri apoplexia , tum sanguinea , tum serosa (quoad qualitatem liquoris effusi) , ab eadem causa : à nimio scilicet sanguine , vel ab ejus aucto motu , in cerebri vasa ; quod consentaneum est cum opinionibus clar. *Morgagni* , et *Stoll* (CIX).

Aliam agnoscit auctor apoplexiam verè serosam , quæ pendet vel à remissis exhalantibus , ut in omni hydropica cachexia , vel à nimia seri copia in sanguine. Hanc autem *vult* symptomaticam : immeritò tamen , nisi symptomaticæ etiam dicantur ferè omnes sanguineæ apoplexiæ.

Inde , utiliorem hujus morbi divisionem , *Cullen* judicat , in apoplexias serosas duarum specierum ; alia à plethora sanguinea , et alia à plethora serosa.

Dirigitur curatio , secundùm has regulas. Jaceat æger , leviter erectus , aere frigido. Præsentibus signis

sanguine plethoræ, largiter illicò educatur sanguis, in latere sano, præcipuè è jugulari, vel ex cubito, si impossibilis sit jugularis sectio. Applicentur cucurbitulæ scarificatæ, regioni temporum et occipitis. Extemplò quoque administrentur clysmata acria, atque purgantia drastica, hæc permittente deglutitione.

Vomitum non laudat; timet nempe, ne vehementius ab eo sanguis ad caput moveatur.

Vesicantia illicò apponit, et potius ad caput, vel ad ejus vicinia, quàm ad artus; illis enim non utitur, ut excitantis, vel revulsoriæ virtute donatis, sed ut cerebri sistere hæmorrhagiam valentibus.

Stimulencia omnis generis damnat, in qualibet apoplexia à sanguine, vel ab ejus aucto motu.

In apoplexia à venenis, vomitum suadet, his recenter introductis; è contrà, inutilem, et noxium declarat. Etiam hîc, jugularium, vel venarum cubiti sectionem laudat, ob frequentem sanguineam in cerebro congestionem. Clysmata acria injicere jubet, et factis evacuationibus, ad varia stimulantia confugere, quæ inter, frigidæ aspersio, et lavatio, primum ipsi videntur obtinere locum.

Cæterum, ut magnus *Boerrhaave*, uberior est in methodo prophylactica, quàm in curativa.

Priscorum inimicus, primus, meo judicio, fuit, qui fluxionarios motus nullos habuit, quique idcirco, derivationem, revulsionemque contempsit. Judicare jam licet, si prudenter fecerit.

CXI. In operibus *Culleni* doctus interpres, et adnotator, D. Professor *Bosquillon*, textui multa non contemnenda addidit, tum ex commentatore *D. Chandler*, tum ex sua propria praxi deprompta. Petit *Cullen* (nec nodum solvit) an studia nimis protracta, angores, et molestiæ, languentem in cerebro circuitum faciant, apoplexiæque locum præbeant? annuit huic opinioni *D. Bosquillon*, dicens omnes celebri-

res medicos observasse , diuturniores animi contentiones caput afficere , attonitumque morbum tandem producere. Hoc equidem verum esse potest de tristicibus animi affectibus , cùm nihil potentiùs sit mœrore , et egestate , ad cerebri virtutem minuendam , humilemque et debilem hominem faciendum ; non æquè verum de animi contentione , quoad alicujus veritatis inquisitionem , quæ diutius protracta , excitationis nimiae morbos frequentius causat , quàm debilitatis.

Ad multas libras jubet sanguinem extrahere , in apoplexia , si vires permittant , cùm ex unico magno vacuo facto , pendeat ægrorum salus ; *Tulpium* invocat , qui , duabus venis apertis , se citissimè apoplecticum sanasse testatur. In omnibus , indiscriminatim , apoplexiis , conferre docet venæ sectionem , pulsu non admodum debili , oculis non vacuis , vultuque non nimiam testante debilitantem ; et dum fluit sanguis , clysmata præscribit. Tantùm ab hac methodo excludit apoplexiam ab hydrope , vel ab ischuria insanabili. Jugularium sectionem præsertim laudat ; jamque , anterioribus venæ sectionibus , debilitato ægro , cucurbitulas scarificatas occipiti apponit.

Acriora drastica in usum vocat , ob ventriculi sensum imminutum , illisque paralysi occurrere posse judicat.

Timidum nimis fuisse Edimburgensem professorem arbitratur , in usu vomitum cientium ; illaque non adeò facilè sanguinem ad caput determinare. Expertum fuisse asserit à vomitu post venæ sectionem , promptiùs levari ægros quàm à purgantibus ; se semper his ultimis emeticum adjunxisse , salutemque ægrotantes recuperasse , quoties sursum et deorsum abundans fuerit humorum evacuatio ; periisse quibus in vanum fuerat emeticum ; ægrum unicum se vidisse , addit , qui , ab elleboro albo (aliis vomitoriis inanibus) , post amplissimas venæ sectiones , exhibito , convulsus admodum fuit ,

atqui tamen , salutem recuperavit. Vomitus ergo suadet in ipso insultu , et minus certum declarat ad novam apoplexiam præcavendam.

Permittit , imò præscribit stimulantia , et sternutatoria , ubi debilissimus , ferèque morti vicinus observatur æger ; ab illisque confitetur se , similes ægrotantes , aliquoties , ab orci faucibus arreptos , vidisse.

Perturbatricem , debilitantemque nimis , D. *Bosquillon* methodum , multi judicabunt ; timendumque ne illust. *De Haen* et *Morgagni* exprobrationem (CVII) , sæpiùs mereatur.

CXII. Celeb. D. *Quarin* , divisionem apoplexiæ in sanguineam et serosam , ad praxim sufficere docet ; serosam autem , rarissimè , ait , occurrere.

In sanguinea , ægrum , erecto trunco , declivibus cruribus , nudo capite , tecto parum reliquo corpore , collocandum jubet , atque arcendam turbam hominum à conclavi , et cavendum à frictione corporis , ab odoriferis , et spirituosis. Venæ sectionem instituit , et repetit , eâ tamen prudentiâ , ut non extinguatur calor nativus , observante jam clarissimo *Lieutaud* , *solvendo morbo necessarius*. E jugularibus , non nisi post prævias phlebotomias , sanguinem mittit , ne , collo fasciâ constricto , vasorum encephali plenitudo augeatur. Hirudines ponè aures , ano , si hæmorrhoides tumeant ; cucurbitulasque scarificatas , occipiti apposititas , laudat.

Sinapismos pedibus applicat , docetque nocere vesicantia , nisi sanguine , quantum opus est , detracto , et humorum orgasmo imminuto.

Ut *Tissot* , refrigerentia tantùm clysmata injicere præcipit , etiam ex tribus , quatuorve unciis aceti , aquâ diluti. Damnat purgantia drastica , usumque commendat mixturæ , è sale medio , et roob sambuci , cui , post evacuatam alvum , arnicæ addit extractum , probabiliter ad excitandum. Factas ægri vires submissas

debilitantium usu, erigere tentat acetito ammoniacæ, camphorâ et nitro.

De vomitoriis loquens, hos aliquoties juvasse consentit, at alexæ plenos judicat, cùm nonnunquam in sanguinosis, emetico, apoplexia successerit. Cum *Murray* et *Nicolai* censet incertum esse emeticum, nec profuturum, nisi malum in ventriculo hæreat; nisique constet, ægrum paulò ante morbum, ingluviei nimis indulgisse; monetque etiam, ut supra laudatus clar. *Tissot*, ne propinetur ob solum materiæ biliosæ vomitum, cùm è plethora caput obturbante, nausea et vomitus biliosus oriri possit (CVIII). Monet quoque ne tepido, aut mellito potu promoveatur vomitio, ob nimiam distensionem ventriculi. Vitriolum album, nativum, à quo citò vomitus movetur, impurum esse, optimè judicat. Præstare cæterum, ait, pennâ fauces irritare (LXXXV, XCVI, et C), quàm emetica violenta propinare.

Quæsito, *an in apoplexia serosa conveniat venæ sectio*, respondet ill. auctor, hac in re, pulsum, vires, et anteactæ vitæ rationem, lucem præbere; nam qui malè nutriti, aut dolore diuturno confecti sunt, aut intensis meditationibus adsueti, damnum inde acciperent.

In hac apoplexia, clysmata acriora, è sale amaro, aut tartaro emetico, injicere jubet; purgantia etiam valentiora præscribit, et minimo volumine, ut faciliùs deglutiantur. Vesicantia artubus, ipsique capiti apponenda, cucuphas ex herbis cephalicis, sialagoga, sternutatoria, odorifera, spiritum cornu cervi, aut ammoniacum, commendat, sed post causæ comprimentis derivationem factam, ope purgantium, et clysmatum acriorum.

Depletionibus factis, ad stimulantia, et incidentia dicta confugit, pro symptomatum et causæ diversitate. Tussi, quæ apoplexiæ aliquando accedit, cum

sibilo , et difficili materiæ crassæ , ac pituitosæ excretionem , suffocationem minitante , opponit kermetem mineralem , oximellem scilliticum , gummi ammoniacum , etc. : monens , præterea , sæpè malum non levari , quòd paralysi nervorum pectoris , ortum debeat.

Apoplexiam , ex arthritide , non semper , ut voluit clar. *Sauvages* , naturam inflammatoriam habere docet ; vesicantiaque , partibus affectis applicata , camphoram , moschum , enulam , sulphur , antimonium , locum habere , in languida humorum circulatione , cum pallida facie , pulsuque molliori.

CXIII. D. Professor *Pinel* (*Nosograph. philosoph. t. 2 ,*) ut celeb. *Cullen* (CX) , ad classem *Nevrosium* , et ad ordinem *Comatorum* , apoplexiam quoque retulit.

Summatim descriptis variorum auctorum observatis , et experimentis , de compressione , apoplexiæ causa proxima , subjungit clariss. hic auctor , generaliter nimis cerebrum apoplexia criminari , cùm fuerit aliquoties hic morbus , absque observata , post mortem , cerebri læsione , cùmque sympathicè etiam aliquoties nascatur , ob ventriculi ægritudines , propriis signis , tunc notatus , anxietatibus , scilicet , anorexiâ , nauseâ , vomitu , aliisque gastricis symptomatibus (CIX). Testimonium invocat , illust. *Morgagni* , epist. anat. V. (XLVII) , quoad absentiam signorum læsionis organicæ in cerebro , et operis D. *Moll* , de apoplexia biliosa ; *Gotting.* 1780 (quod mihi est ignotum) , quoad apoplexiam à gastrico fomite.

Liceat mihi , (non ut sapientissimo viro contradicam , sed ob veritatis amorem , et propter quòd hujus epistolæ testimonium , multos alios auctores video invocare ,) liceat , inquam , asserere , nihil ad rem controversam in hac reperiri. Duæ historiæ , ad n^{os}. 17 et 19 , alia Æthiopis , alia piscatoris , in quibus de sanguine , aut de sero , effusio , sermo non est , et quæ idcirco

oppositæ sententiæ paulisper favere viderentur, multi aeris encephalica vasa distendentis, præsentiam testantur, et hæc occasione, de illo phænomeno, jam ab aliis observato, solito sagaci ingenio, disserit auctor.

Quoad gastricarum passionum proprietatem, comatosos affectus producendi, hæc ab omni antiquitate cognita fuit (XVI); sed nunquam nascitur vera et lethalis apoplexia, nisi successa fiat in cerebro, læsio organica: etenim, ut rectè jam monuit *Galenus* in opere *de locis affectis*, pedetentim à morbis ventriculi et intestinorum inficitur caput, debilitatur cerebrum, et minima de causa liquores illicò effunduntur; quod efficere etiam possunt, primâ vice, indigestiò, vermes, venena injecta, si jam ad apoplexiam dispositio exstat: at sunt hæc causæ occasionales, humores ad caput propellentes, unde fit congestio, vel effusio, causæ apoplexiæ semper proximæ. Huc usque, nulla certa factorum disquisitio, quantum sciam, propositum hoc inficere potuit (LVIII).

Notatu imprimis dignam judicat *D. Pinel*, apoplexiam, ab acribus studiis, animique intentâ contentione, gradatim insurgentem, variisque nerveis læsionibus præcessam: magni anatomici *Malpighii* (XXXIX), exemplum affert, aliique viri cujus morbus et obitus, locum dederunt thesi propugnatae, Argentorati, ann. 1770, cujus sequens est historia: — Vir, 58 ann. natus, plethoricus, studio, et vigiliis nimis deditus, consuetam venæ sectionem, hoc anno, omiserat; hieme sequenti, tussi catarrhali afflictus erat; succedebant oculorum debilitas, duplexque rerum intuitus; memoriæ vacillatio, mentis interdum alienatio; somnolentia; artuum imbecillitas; narium internarum siccitas; alvi pigritia; deinde mentis et corporis virium gradativa abolitio; mox retentorum involuntaria excretio; tandem, respiratio stertorosa, et mors. — Aperto cranio, observantur: serum effu-

sum in ventriculis lateralibus cerebri, et ad thalamos nervorum opticorum, in latere sinistro; varicosissimos plexus choroidos. — Confer cum hac descriptione, historiam Aulæ Ministri, apoplexiâ lentâ quoque extincti (XXXVIII).

At rariores, quàm creditur, judico, litteratorum apoplexias, à solo litterarum ardenti amore productas; nos non docet historia talem fuisse sortem antiquitatis sapientum, qui longissimo ævo vixerunt; neque talem recentium: cultura enim intellectus, et veri sincera investigatio, corporis vires erigunt, cerebrum intendunt, omnes molestias, animique immoderatas perturbationes arcent, quæ frequentius, meo judicio, capitis morbis locum præbent. Dolendum autem non semper mero hoc incitamento doctos animari, sed plerumque libidine dominandi, avaritiâ, invidiâ, ut nullibi germanè minùs vivatur, quàm in litteratorum republica; unde non mirum si apud illos frequens sæpè sit apoplexia. Si, de *Malpighio* apud *Baglivum*, et de *Ramazano*, qui quoque apoplecticus obiit, apud *Morgagnium*, conqueritur, evidens fiet, non in animi contentionibus, sed in mœrore, variis curis, et in corpore dolorem sæpiùs experto, radices sumpsisse apoplexiam. *

* Conspicimus equidem multas nervorum passiones, post affectus morales oriri; multæ etiam reipsa contagione quâdam producuntur: at, attentè consideranti evidens fit, corpoream præcessisse proclivitatem. Nullus tamen priscorum, quanquam in observando, neotericos præcelluerint, studiosum animum inter apoplexiæ causas enumeravit. *Cælius* ipse, qui adèò consultè de *mania* scripsit, postquam dixerit generari posse maniam intentione nimiâ sensuum et intellectus, ob cupiditatem disciplinarum, vel quæstum pecuniam, aut gloriam; inferiùs profiteretur nunquam mentem falli, priusquam symptomata quædam jam se in corpore prodant. *Cælius Aurel. de mania*. Multò magis, meo sensu, ubi agitur de apoplexia.

Tandem, hic gradativus morbus, minus ad apoplexiam exquisitam, cujus mos est derepentè accidere, quàm ad speciem comatis somnolenti, pertinere videtur.

Enumerat celeberrimus Professor omnes medendi rationes, vicissim tanto morbo oppositas; luget de illarum sterilitate, et de difficili, cuique speciali apoplexiæ quarumcumque sincera applicatione; in optatisque habet, posse artem, veram et inconcussam in omni specie, variarum curationum utilitatem determinare. Utinam, tam sanctis votis, in hoc Opere, aliquo modo respondeam!

CXIV. Insignis Parisiensis clinicus, D. Portal, in duobus scriptis de apoplexia, insertis inter *Academiæ Regiæ Parisiens. scientiarum, ann. 1781, et Instituti Gallici, Commentaria*, emeticorum discrimina, phlebotomiæque laudes et necessitatem denuntiavit. Variis observationibus, et anatomicis sectionibus ostendit, plurimas apoplexias, inter serosas collocatas, verè sanguineas fuisse, cum in cranio, inter meninges, in cerebri ventriculis, aliquotiesque in theca vertebrali, multus sanguis effusus inventus fuerit, cumque ubi serum effusum visum est, cum majori vel minori sanguinis quantitate id fuerit, vel saltem cum uberiùs distentis sanguiferis vasis. Ostendit quoque fallacia fuisse, et damnosa, ob venæ sectionis neglectum, et emeticorum usum, signa quibus serosam esse apoplexiam, medici declarabant; ut sunt: vultûs pallor, pulsus debilis, parvus et tardus: ideò, audacter phlebotomiam in omni vera apoplexia, suadet, emeticaque damnat; felicique praxi doctrinam confirmat.

Comprobatam eandem legimus therapeiam in Diario medico, cui nomen *Gazette de Santé* (24 juin, et 1^{er}. octobre 1807, n^o. XVIII et XXVIII). Ex cura cujuslibet apoplexiæ eliminantur emetica, com-

mendaturque sanguinis eductio ex jugularibus vel saphena, pro indicatione; hancque jubent ut semper vomitorio præeat, si unquam utile hoc medicamentum judicetur; utile autem vix fuisse unquam in vera apoplexia, sed tantum in comatosi affectibus, sicut (ut loquitur Diarium) optimè distinxerunt *Hippocrates*, *Aretæus*, *Sydenham*, aliique; (in quo certè torquentur hi auctores, et imprimis *Sydenham*, ut superius vidistis). Sanguineas aiunt fuisse apoplexias quæ, ex signis exterioribus serosæ existimatæ fuerant; et in probatione, duæ sequentes referuntur observationes: — Vir jam à quatuor horis inter fortes apoplecticos erat. Vultus pallidus, os spumosum, pulsus parvus et coactus, respiratio admodum difficilis. Bis in nocte saphena scinditur; vesicantia suris apponuntur, decocti formâ tartarus stibiatus præscribitur; vigesimâ die convalescit æger, absque paralyti. — Alius vir, 45 ann. natus, temperamenti sanguineo-biliosi, serosæ apoplexiæ symptomatibus afficitur: — pallor cadaverosus, os spumans, profundus sopor, respiratio stertorosa, pulsus coactus, etc. ter saphena scinditur intra 60 horas; vesicantia nuchæ, et suris. Trigesimâ septimâ die convalescit æger, sed cum paralytico brachio sinistro. — Addit harum observationum auctor, se pluries parientibus, minitante apoplexiâ, venæ sectionem in pede, bono eventu, præscripsisse.

Anno elapso, 1807, publica facta fuit *Dissertatio*, de apoplexia, auctore *D. J. A. Gay*, medico Mons-peliensi, refellendi inprimis gratiâ doctrinam *D. Portal*.

Indistinctam prædicti Professoris methodum, non solum vituperat *D. Gay*, sed etiam, excessu contrario, sanguineas esse negat apoplexias, ab omnibusque, venæ sectionem excludit.

Febrim perniciosam apoplecticam, apoplexiæ exquisitæ æquiparans, solâque differentiâ typi, hos mor-

hos inter se discrepare arbitrans , apoplexiam nunquam sanguineam esse , neque unquam ei convenire venæ sectionem judicat , quòd nec inflammatoria sit febris intermittens apoplectica , neque sanguinis educationem patiatur.

Vesicantia quoque damnat in hoc morbo , quam ob stimulum , in comate , utiles videantur ; illa autem damnat , quòd cogitaverit ab humorum dissolutione causari febrem malignam , in qua non conveniunt vesicantia ob acre cantharidum in corpore introductum : atqui , cùm ex ejus sententia , sit pariter apoplexia morbus à dissolutione humorum , ergo in hac , neque conveniunt vesicantia.

Vix responsionem merentur tam leviora , tamque inconsiderata ; non pigeat tamen quædam D. Doctoris *Double* referre , ex Excerpto hujus opusculi , quod dedit in *Diario Societ. Med. Paris. , mensis Maii , 1807.* — Se potius D. *Portal* methodum amplexurum , profitetur ille , si inter illam , et methodum D. *Gay* eligere necesse esset ; non quidem , quòd frequentius praxi sese offerant apoplexiæ sanguineæ , quòd è contra , rarum ait ; sed quia in omni apoplexia , quæcumque sit , à cerebro , venæ sectione derivantur vitiosi motus , minuunturque tensio atque coma ; et quia etiam , laxatis omnibus à venæ sectione , ad alia viæ parantur remedia ; dummodo tamen moderatè cum sanguine agatur.

Nullam autem horum , aliam aut aliam opinionem excludendi vi donatam declarat , cùm sint apoplexiæ quæ sanguinis educationem requirant , aliæque , non ; pro causarum et ægrorum varietate : additque , difficillimam esse distinctionem , inter sanguineam , et serosam , imò ferè impossibilem , cùm non in praxi , sed in cadaverum sectione originem duxerit.

Pergit doctus adnotator , dicens : frequentius sympathicam apoplexiam observari ; posse aliquoties ad

caput reflecti regionis abdominalis spasmos , sicque , cerebro compresso , viscera omnia , influxu nerveo ; orbare ; tuncque suam posse habere utilitatem , sanguinis levem educationem , revellendi , remittendique gratiâ , ut aliis auxiliis amplior fiat locus ; *Eller* quoque docuisse (*de morbis curandis*) necessariam esse venæ sectionem in omni apoplexia , etiam serosa , etiam in pituitosis corporibus , ad cerebri compressionem relevandam.

Quid sentiam de variis his propositis , sequenti capite explicabo.

Opinionem *D. Gay* de apoplexiæ natura , et usu vesicantium , judiciosè redarguit *D. Double* , observans : 1°. cortice peruviano sanari apoplecticam intermittentem , non verò exquisitam apoplexiam ; 2°. gratis omnimodo poni in humorum dissolutione , apoplexiæ causam ; 3°. non satis adhuc confirmatam esse dissolventem cantharidum virtutem , ubi in corpus introducuntur ; atque , etiam si comprobata esset , vanos ab his induci timores , cùm tantùm excitantium modo , vesicantia applicentur , non secta cuticula ; hocque unum illa habere incommodum , quod tardè nimis operentur.

C A P U T V I.

De prædictis opinionibus , heroicisque quibusdam medicamentis (ut venæ sectio , emetica , purgantia vesicantia , etc.) , critica inquisitio.

CXV. **E**XPERIMENTUM periculosum , iudicium difficile , ait nunquam satis laudatus Hippocrates ! et , mehercle , si quid utilitatis in societate humana haberet dubitatio , nulla ars , ac illa medendi , fluctuanti animo uberiùs locum præberet : per secula , inconsultè se repetere videmus easdem opiniones , in verba Magistri , qui , ut sectæ princeps haberetur , sibi met ipsas finxit : mirabilia , et mutabilia corporum viventium explanaturi primi philosophi , hospites , et alienigenos spiritus animo effinxerunt (LXXX) , quibus , re ipsa , si comprobati fuissent , nihil ad pervadendum acutius , nihil mutabilius . Mille vocibus iterantur hæ nugæ , usque ad tempora Galeni , qui non minus hypothetica his adjunxit , scilicet , humores spissos , frigidos , bilem atram , sanguinem melancholicum , etc ; et ferè præterierunt sexdecim secula , quibus medicorum cæciter credentium , in Galenicarum fictionum commenta , totus impegit labor . Si , non primus , saltem unus ex primis , spirituum animalium nervis insitorum , auctor fuit Galenus , quorum ab obstructione , impeditus influxus , apoplexiam generari censetur ; et de his spiritibus nemo ferè ex posteris dubitavit , quos tamen nullus unquam vidit . Ferè semper eadem apoplexiæ opposita sunt remedia , pro commentariorum versione , suamque quisque , fausto eventu , praxim confirmavit ; dum interea , cum huc usque ignota sit , certa et saltem nusquam nocua , tanti morbi medicatio , lateat adhuc , an sanati , uni

naturæ (quæ apoplecticos sæpè liberat) salutem debuerint , artique , interitum , qui succubuerunt !

Cadaverum sectio , luminosi quid , de causa proxima , afferre visa fuerat ; et sæpè , è contra , novus evasit fons errorum , cùm humorum effusio , vasorumque distentio , fallacem sæpiùs pathologiam creaverint , pro cujusque observatoris inventis : vidistis , itaque , raram alios dixisse serosam apoplexiam , frequentem alios ; pugnare hos immisericorditer venæ sectionibus , istos sanguinis educationi parcere. Ueberior adhuc erratorum origo fuit circuitus sanguinis inventum , adeò , cæterùm , clarum ; involutarum à natura rerum , se arbitros , medici existimantes , priscorum observata contempserunt ; inter physicas contemplationes vitam adstituerunt , neque semper tamen vetustissimis notionibus felicioram therapeiam substituere ! . . . Quot tristes , veri indagatori , consecutiones !

CXVI. At , cum *ars sit lunga , et vita brevis* , promptèque necesse sit operare , aliorum experimentis nequit medicina valedicere , debetque ea sinceriora tenere , quæ à plurimis semper probata fuerunt , quæque diuturnâ , et immutabili observatione comprobata sunt. Ignota quidem semper erit rerum essentia , in phænomenisque tantùm vivimus , ut sapienter docuit philosophus *Kant* ; horum phænomenorum non interrupta series , ab omnibus , quæque sit præconcepta opinio , conspicata , sit ergo nobis , aliæ defectu , veritas. Inter hæc autem locum distinctum occupare sequentia proposita censeo.

1°. Notionem quæ apoplexiæ causam proximam statuit in cerebri compressione (LI) ; sive totum comprimatur , sive in originem tantùm , aut , si vis , omnium nervorum terminum , se exerceat compressio , ut , v. g. , in radicem medullæ spinalis. Hæc omnium scriptorum unanimo consensu , et cadaverum

omnium apoplecticorum perlustratione , attestatur.

2°. Materiam hujus compressionis esse , vel tumores , vel effusos liquores , vel tantum admodum distenta cerebri vasa.

3°. Distenta ferè semper fuisse cerebri vasa , cujuscumque sit liquoris effusio.

4°. Determinantes cerebri compressionis causas esse , plethoram , sive plenitudinem consuetam , sit hæc localis aut generalis ; vel plenitudinem insuetam , à ruptu , sive fluxu quodam , à parte remota ad caput , facessitam. *Hippocratis* auctoritate , lungâque et attentâ plurimorum apoplecticorum contemplatione , prima comprobatur ; clarumque etiam fit , ex nostro historiæ medicæ , de apoplexia compendio , posteriorem causam , ab omnibus sectis , à primo artis incunabulo , acceptam fuisse , si fortè excipias *Cullenum* , et quosdam novatores , qui , quid vetustum invenerunt , è nova doctrina tentarunt ejicere. Quorsum enim revulsiones , et derivationes adeò celebratæ , repellentia , attrahentia , artuum ligaturæ , remotarum partium frictiones , etc. , medicinæ coetanea , si omnia immota essent , si nullus esset fluxus et refluxus , si non , omnis ævi , medici partes esse quæ mandant , partes esse quæ accipiunt , et quæ iterum mandare valent , observassent ?

5°. Esse causas apoplexiæ occasionales , in ipso homine , in debilitato scilicet , vasorum cerebri textu , in morbidis visceribus , in animi pathematibus , et in rebus extra hominem , quibus vivit et nutritur.

CXVII. Posse , nullo effuso humore , solam vasorum cerebri ultra modum plethoram , hoc viscus comprimere , apoplexiamque producere , probant varia experimenta in vivis tentata , sopor in hypocaustis , à rarefacto sanguine , et post usum immoderatum alcoholis , à vehementiùs vecto sanguine ad caput ; exempla suspensorum qui ad vitam redierunt , et sectio

anatomica : nullusque dubito frequentiore[m] hujus generis fuisse apoplexiam, quoties vel natura, vel arte ægri liberati sunt. Ab hac tandem effundi etiam posse humores, immedicabilem apoplexiam afferentes, verisimile quoque est.

Non credendum tamen hanc localem plenitudinem, semper abundantis sanguinis signum fuisse, et venæ sectionis usum justificasse; à debilitate enim id sæpè fit (ut inferiùs fusiùs dicetur), sicut observamus in aliis partibus quæ, ab ignaris, pro inflammatis habitæ, eò magis turgent et rubent, quò debilitantibus, morbus impugnatur, quæque, in contrario regimine, sanitatem recuperant. Dein, si, in venis, sit plenitudo, ut in senio plerumque succedit, ferè semper debilitate comitatur hæc plethora; unde nisi omnibus pensatis, ab hac cerebri vasorum distensione, ad summè sanguineam compagem, concludere licet.

Plenitudinis capitis, reliquo corpore exhausto, exemplum habemus in multis chronicis morbis, in quibus vegetæ sanitatis imaginem adhuc refert plena facies, trunco et artubus interea tabefactis: simile videmus in convalescentibus ex morbo acuto, ubi non legitima fuit judicatio; cum his congratulantur amici, et propter mentis et corporis vires, morbo non laborasse ferè arbitrarentur ægrotantes; dum interea medicus recidivam timet, ægrumque in tutum non judicat, nisi pallidâ facie, submissisque mentis et corporis viribus, pro præcessi morbi gravitate. An autem cum his rectè ageret, qui venæ sectione, caput, ad instar aliarum partium, adducere tentaret?

De hoc consentiunt omnes, id cæterùm testante quotidianâ experienciâ, aliquam, scilicet, cerebri vasorum plenitudinem, ad illius visceris virtutem tuendam necessariam esse. Dignissima notatu est observatio apoplecticorum, qui, aliquot dies, ante paroxysmum, alacriores, et ingeniosiores videntur: non

improbabile autem est, majori tunc distensione affici encephali vasa, debilibus enim partibus humores attrahuntur: rumpitur vas; vel per exhalantia, major fit, ut in plethora solet, seri effusio, quòd ab absorbentibus non recolligitur; en ergo immedicabilis apoplexia, vel hemiplexia! At, plerumque hæc eveniunt, in obesis, in longo mœrore afflictis, in decrepitis, in corporibus variis causis debilitatis; an venæ sectione his opitulabimur? Cordato animo, ex his concludimus, posse effusum reperiri post mortem sanguinem, vel serum, quanquam nec ad sanguineam, nec ad serosam pertinuerit, quoad praxim, apoplexia, sed potiùs ad debilitantem diathesim, ut, v. g., in casu hujus aniculæ (XLVIII) à clar. *De Haen* descripto.

CXVIII. Rectè ergo à multis dictum fuit à sero invento post mortem, serosam sic dictam, fuisse apoplexiam, non semper concludi posse: ut enim mox enuntiavimus, distentis à sanguine cerebri vasis, seri effusioni locus dari potest, ope exhalationis, et defectu resorptionis, ut evenit in hydropicis à venarum plenitudine (XLIII), quibus, teste nostrâ experientiâ, conducit venæ sectio. Videmus quoque, ab acuta, vel lenta, membranarum phlogosi, non sanguinem exprimi, sed lympham albuminosam, quam concretam post mortem invenimus; atque etiam fieri non dubito in capite similem, gelatinosæ concretæ lymphæ, meningis obducentis, morbosam excretionem, ut in Capite tertio, frequens hujus fuit mentio; quod quidem factum suspicari licet, cum diuturna cephalalgia apoplexiam præcesserit. In hac autem, potuit aliquoties conferre venæ sectio.

In omnibus calvariis tandem ferè semper reperitur paucum serum, cui absorbendo non suffecit tempus: cum in omnibus ferè morbis apoplectico interitu vita terminetur; pauci sunt enim interitus in quibus, plus vel minus diuturna sensuum privatio, ultimum fatum

non præcesserit, unde non mirum, si in variis corporum sectionibus, eadem aliquoties est reperire, ac in apoplecticis. Non differre ergo, ex his colligimus, vulgares obitus, ab apoplectica morte, nisi quod hæc derepentè fiat, illi verò sensim perficiantur. At nullo modo, cum serosa, in scholis, nominata apoplexia, hoc natum serum, convenire, evidens fit.

CXIX. Serosam verò sinceram fuisse apoplexiam, ex his colligere licebit, cum illam præcesserint languor diuturnus, torpor, et soporosi varii affectus; albicans, vel viridescens totius corporis habitudo; frigoris continuus sensus; frequens ischuria; œdematosi varii tumores; ulcera diu manantia, improsperè dessicata, aliaque serosæ colluviei evidentia signa: tum, in cerebro hydatides (LIII), quæ semper languentis lymphæ circuitus, testimonium proferunt; tum ipsa medullaris substantia, flaccida, mucosaque facta (L).

CXX. Sub universæ plethoræ nomine, repleta ultra modum, à quocumque humore, vasa rubra et lymphatica intelligo. Minimè repugnare arbitror, existere posse nimiam boni sanguinis copiam, hosque homines in apoplexiam facilè incidere, à quacumque causa quæ majorem sanguinis quantitatem ad caput urgeat; ut motu, conatu eximio, cantu altiori, et diu protracto; capite diutiùs imo situ submisso, intemperantia, ira, calore magno sanguinem dilatante, frigore, humores ab extus ad intus pellente, etc; imprimis, si huic plethoræ juncta sit imbecillitas vasorum, ut, diuturnitate temporis, plerumque evenit. Hæc omnia, quasi mechanico modo, operantur, hæmorrhagiamque cerebri lethalem producere queunt. Hæc est corporis constitutio de qua *Hippocrates*, *aphorism. 3, sect. 1^a*; constitutio quidem rara, et tantum iis propria, qui, cum vita deside, curis vacua, cibus succulentis, et vino abutuntur.

Fulminans et proditor plerumque est hæc apoplexia,

à rupto vase in cerebro; et in mediis poculis, vel durante digestionem, evenire solet; talis fuit illa *Lucii Veri* imperatoris (LXXXVIII), quæ post epulas successit; casus à *Jasone* relatus (C); et rustici divitis, qui, tribus ab hinc annis, in lauto prandio, dum vini cyathum epotaret, apoplecticus cecidit, fluente paulò post sanguine, per nasum et aures, ut mihi convivæ retulerunt.

Prodromos tamen etiam verè semper habet; ut sunt: corporis torpor; calores; nasus sanguinis stillas fundens; frequens rubri coloris intuitus; somnia, in quibus certaminum, et cædium, frequens et horrida repetitur imago; similiaque alia.

CXXI. At, ab optimo sanguine, non omnis nascitur plethora: cum sit enim ille, flumen in quo singuli commiscentur humores, et à quo iterum segregantur; cumque ab organorum habitu sano pendeat ejus bona compages, abundare sæpè potest pravis humoribus, vel deficere æqua partium componentium proportione, (vide nostram *Physiolog.* n. 371 *et sequ.*); undè nascitur plethora cacochymica, quæ aliam, quàm à bono sanguine, requirit therapeiam.

Alteratur sanguis multis modis, qui, non omnes adhuc sunt cogniti; sat aptè tamen me observasse reor, plethoram serosam, plethoram mucosam, in quibus videbatur sanguis, in sero, aut in muco, omnimodo mutatus: pallidos, flaccidos, hebetes, hos videre licet; catarrhosos; habentes aures sibilantes, urinasque decoloratas. Plethoram observavi scorbuticam, sopore, stupore, desidiæ, comitatam, cum qua, omnibus integris, pulsuque plenissimo, fluebat sanguis ater, et non concrevens, per nasum, sputa, anum, et vesicam, diætâ antiscorbuticâ sanatam. Non à verisimilitudine est, posse, in hac, pedetentim stillare in cerebri cava, serum acre sanguinolentum, ut fit in pulmonibus.

Non fugit observatores , continuo mœrore conflictatos homines , fugatoque appetitu ciborum , tamen impinguescere , et coloratos videri , unde adagium : *mæstitiam maciem non facere* ; dicas ne bonos succos in corporis fieri ?

Huc referre juvat *Hippocratis* verba , dicentis initio *l. 1 , de morbis* : « cùm pituita ad carnes convertitur , homo , ab hac crassus esse videtur : nam » carnes , cùm irrigatæ fuerint et elevatæ , et rarefactæ , sanguinem ex venis trahunt , sic benè colorati esse videntur ». Notas autem paulò post assignat , quibus noscere possis an malum significet hæc vultus coloratio ; scilicet : « si cum isto rubore , non » acutè audiant ; item , si , cùm benè se videantur » habere , paucis cibis repleti , se esse contentos dicant. » Commentans hæc verba optimus *Baillou* (*Consil. Med. l. 2^{us}.*) , animadvertit quoque attendendum esse ad hanc diffusionem et eliquationem , quâ coloratur homo , unde , notante *Hippocrate* , epilepsiæ et vertigines fiunt ; ne ab illo rubore decipiamur. Fallacem hanc florem , catarrhosorum rubori comparat , quos benè coloratos videmus , vegetosque vulgus putat , dum medicus ista bona suspecta habet , et morbi prænuntia putat.

Hanc succorum diffusionem à 40^{mo}. anno , plerumque observamus , præcipuè in his qui curis vexantur ; fit autem à debiliori vi vitæ facta ; unde minuuntur perspiratio , et alimentorum necessitas. Interea , qui apoplexiâ minitantur , sæpè per aliquot dies , ante paroxysmum , acriori vigent appetitu , et tempore digestionis , vel nato , in abdomine , spasmodico motu , corripuntur. Sunt autem hi , qui , quid peculiaris in vultu (XXII) , jam ante insultum habuerant ; unde credere est , magis magisque dilatata in illis fuisse vasa cerebri debilia , ab hac cachectica plethora , quæ , ad punctum temporis , vires nerveas paulisper intenderat ,

(CXVII), quæque tandem lethiferi liquidi effusionem produxit.

CXXII. Proludiis autem variis ferè semper nuntiantur hæc, à cocochymia, apoplexia; neque semper, ut sanguinea, primâ vice occidit, sed hemiplexiâ frequentius terminatur. In colluvie acri, sive scorbutica, præcedunt plerumque diuturnæ cephalalgia, vultûs robores, aurium dolores, caput inquietum, et vertiginosum. In colluvie serosa, vel mucosa, fiunt vertiginosi, obliviosi, tardi, somnolenti, ut si circulans effetus sanguis, sensibilitatis, excitabilitatisque tutelæ, impar factus sit. Numerosa exempla hujus habes, in capite de causa apoplexiæ proxima, aliaque, Capite proximo, afferam: hîc, tamen unum subjungam, ob miram quam præbuit sanguis singularitatem.

Mense Junii, anni 1806, me conveniebat rusticus, ann. 30, questus de vertigine, somnolentia, et titubatione tanta, ut nisi sustentatus ab uxore, quæ presens erat, in terram caderet. Cùm satis torosus esset, non omnino decoloratus, pulsumque plenissimum haberet, inter alia evacuantia, venæ sectionem, ad uncias sanguinis octo, jubebam. Apertâ venâ, summè miratus est chirurgus, quòd loco sanguinis rubri, flueret sanguis rosaceus, illicoque quantitatem sanguinis extracti, ut jusseram, mihi ægrotantis uxorem afferre curavit, in lagena vitrea, aptè clausa. Miratus sum et ipse, liquorem videre consistentiæ lactis caprini, albicantis, et rosacei coloris, mixti. Hunc servari per tres dies, neque concrevit. Intereâ æger pejus habuit à venæ sectione. Somnolentior factus erat, et è lecto surgere, amplius non valebat. Quæ meditans, consideransque vigore deficere hunc sanguinem, quòd pravis alimentis, inter quæ, aliis et cepis, frequentius æger usus fuisset, ad aliam methodum animum verti: potus leviter aromaticos et nutrientes præscripsi; lac asinum pro jentaculo; diætam animale

in prandio, et cœna; frictiones cum laneis pannis per totum corpus; subinde, equitationem super asinum: quibus pedetentim, vertigines, sopor, et titubatio profligatæ fuerunt, et nunc vegetus, duris suis laboribus ille fungitur.

CXXIII. Impetum faciens *Hippocratis*, seu conversio humorum, à loco in locum, quâ nascitur insueta, inexpectataque cerebri plethora (CXVI), variis modis locum habere potest in corpore undequaque permeabili, et in quo omnia inter se communicant; sed, inprimis: 1^o. medio cellularis textûs; 2^o. medio vasorum omnis generis, peristaltico, et anti-peristaltico motu instructorum. In nostra enim *Physiologia* (ad n^{um}. 102 et sequ.), pervincimus, suam habere arterias vim propriam, præter vim cum corde socialem; et ab hujus operis editione, alias multas, hoc physiologiæ punctum comprobantes observationes, collegi.

CXXIV. Ad communicantes cellularis telæ vias, referri potest, apoplexia quâ non rarò hydropici pereunt, subitanèâ factâ ad cerebrum seri fluxione. Observavit *Stoll*, in suo nosocomio, complures ex febre acuta convalescentes, subitanèâ morte extinctos fuisse, cum, artus inferiores adhuc œdematosos habentes, longiori somno indulgerent; serumque ab his partibus ad cerebrum flueret. Requirit autem apoplecticus interitus, ut subitanea sit fluxio; sed plerumque sensim ad sensim evenit, tuncque somnolentiam quidem, non verò apoplexiam extemplò producit. Sic plurimos vidimus asciticos desperatos, in ultimis vitæ diebus somnolentos et delirantes factos, qui, iterum in vigiliam, et sensum redintegrabantur; sic quoque, leucophlegmaticos curavimus, qui tandem etiam inflatis singulis capitis partibus, somnolenti et obliviosi fiebant, neque tamen apoplectico insultu corripiebantur.

tur , evacuatis quaquà aquis. Sit pro exemplo historia sequens.

Honestissima virgo quadragenaria , uteri ulcere , hujusque frequentibus hæmorrhagiis afflicta , quam per tres annos , sæpè in Martigiorum nosocomio curaveram ; tandem , ultimâ vice , in ascitem incidit , et brevi in hydropem universum , cui per sex menses , in dicto nosocomio , varias suppetias dedi. Cùm autem , eo tempore , frequentiores fuerint uteri hæmorrhagiæ , ut vix quid sanguinis rubri adhuc superesset , immensè tumida fiebatur hæc misera , soporosa , et frigida , ut calidorum laterum applicationem vix sentiret. In tanta rerum angustia , quid , absque damno facerem , vix sciebam. De scarificationibus ad malleolos cogitabam , sed gangrenosa ulcera metuebam. Tamen , ad id animum converti. Per duos menses fluxit ex scarificatis malleolis , quæ nunquam nec inflammati , nec gangrenosi fuerunt , tanta seri copia , ut lecti suppellectiles inundarentur , necessumque fuisset , singulo horæ quarto , lintea renovare. Talis fuit autem hujus perennis effluvii eventus , ut aliquem motum in lecto , misera habere posset , ut redirent animi vires , utque antea soporosa , tunc vigiliis adèdò vexaretur , ut laudano liquido , in infuso aromatico , somnum , alternis diebus , conciliare debuerim. Sic vixit , de salute semper sperans , nostris consolationibus , analepticis , calidis , corroborantibus , sustentata , usque ad diem 11^{am}. Februarii , anni præsentis , quâ , de repente aphona facta , et tamen mente constans , morientium præces , oculis et labiis , tacitè cum Ministrante recitavit , et placidè ivit ad Superos.

An apoplexia ab immedicabili ischuria , et à suppresso ulcere , ad telæ cellularis vias referri debet ? equidem , repleta vesica urinaria , potest per textum cellularem , ad caput vehi urinam : sed etiam , tum iterum absorpta , tum non amplius secreta , nascitur

plethora , et apoplexia , à serosa colluvie. Eadem est ratio apoplexiæ , ab improspere clauso ulcere. Jam hæc ulcera diutiùs manantia , cachecticæ corporis constitutionis indicia fuerant ; si verò supprimitur genus hoc depurationis , brevè augetur cacochymica plethora (CXVI).

CXXV. At , ut mirabilior , ita et frequentior est raptus , à spasmis vasorum quæ , id testante observatione , sicuti tubus intestinalis , queunt , contra circuitus leges , ad fontem primariam contenta revocare , pelagi fluxûs et refluxûs , in corpore vivo , imaginem quamdam offerentes. Hujus habuisti exemplum , in animi pathematibus (LXXV) ; de insultu hysterico , etiam locutus sum (XXXII). Sed , ut quod fundamentum teneo artis medicæ , sic omnes habeant persuasum , de hoc hysterico paroxysmo , et de hypochondriaco , quædam adhuc dicturus sum ; in his , ergo , plerumque sunt : primum frigus et horripilatio ; in robustioribus , boli ascendentis sensus ; pallor vultûs et corporis ; visus deficiens ; titubatio , subinde casus ; sensuum , motuumque absoluta privatio ; palpebræ concidentés ; os clausum ; meiendi desiderium , et urina decolorata , aquosa ; respiratio , modò naturalis , modò elevatior ; pulsus , interea , sensim sensimque deficiens , intermittens , vix sensibilis ; cor oppressum ; aliquoties artuum convulsæ agitationes. Declinante paroxysmo ; pulsus sensim , sensimque minus intermittens , major , plenior ; eructationes ; suspiria frequentia ; pandiculationes ; aliquoties vomitus ; urina coloratior mingitur ; et tanquam à profundo , sed inquieto somno , excitatus , surrexit æger , cum artibus dolorosis , ut ictibus contusi fuissent ; cum quidem multi , inchoante paroxysmo , hos constrictos sentiant. Similia observantur in multis epilepticis , cum plurima inter hos morbos communia sint. An non in his omnibus manifestatur , ab extus ad intra , motuum et humo-

rum concentratio , tum iterum , illorum redux naturalis diffusio ?

Similem , meherclè , videre est virium ad intus retractionem in febris intermittente apoplectica ; occidit enim in frigore diu protracto ; et salvus est homo , si surrexit calor. Quare huic occurritur , in apyrexia , emesi , si materia sit in ventriculo ; cortice , et aliis specificis , si causa spasmum determinans ignoratur : quinimò , in ipso paroxysmo , spasmi tetros effectus , laudano , aliquoties præripui , ut semper mihi feliciter successit , initio insultuum hystericorum , hypochondriacorum , et quorundam epilepticorum.

Vix dubito quin similes prodromos non sentierint qui apoplexiâ correpti sunt , absque ulla , ex anterioribus consideratis (CXX et seq.) evidenti causa ; multi quidem , si fortis fuit , non recordantur , sani facti ; sed si levis , confusam , anteactorum , habent imaginem. Octogenariam mulierem , pistrinariam , nosco , macilentam , hilarem , tamen , in alieno dolore facilem , domûs officiis strenuè fungentem , menteque , et corpore sanam , nisi in loquela difficultatem haberet : hæc , in biennio , tribus levis apoplexiæ insultibus afflicta fuit , à quibus spontè se recolligit ; primus quidem acutior fuit , nam levem hemiplexiam reliquerat , quæ pedetentim fugata est , si excipias hanc quam dixi , linguæ difficultatem. Cum illa autem , cùm frequenter sermonem contulerim , ob filium quem habet hypochondriacum , mihi narravit , primi insultûs immemorem se esse , sed distinctè , quoad alios , recordari (quanquam , ut fulminis ictus , illam occupassent) , præcessos fuisse aurâ frigidâ , et dolorosè arctante , quæ à cruribus sursum ascendebat ; idque ab adstantibus mihi fuit confirmatum. Die 20^o. Martii , ann. præsentis , senex , 76 ann. natus , hospes Martigiensis nosocomii , cùm in parentis domo esset , apoplectico insultu primâ vice corripitur , et in nosocomium fer-

tur, sensu, motuque orbatu. Naturæ, vel cardiaci ope, brevi se recollegit, absque ulla paralyti. Interrogavi illicò, quid antè, et quid post sentiret; respondit, *de antè actis immemorem esse; quid dolorifici nunc à capite in universum corpus se diffundere*: equidem, cum interea ad pulsum, manum haberem, hunc vehementem, frequentem, et leviter convulsum tangebam, ægerque, emotâ mente, vago oculorum obtutu, et altissimâ voce, ut si audiendi sensu caruissem, mihi, singulis diebus, familiari, alloquebatur.

CXXVI. Omnium rationem reddere non facile quidem est, et sat esse deberet phænomenorum observatio (CXVI); cum causarum tamen inquisitione egeat medicina, nunquamque minus tuta sit, quàm ubi symptomaticè, et empiricè operatur, juvat quædam in medium proferre, de suspicatis spasmodicorum motuum causis. Primo loco, statuitur, materiam semper esse ad vicinias centrorum nerveorum, irritantem, primum, membranarum vasorumque, spasmus producentem, et sicut unda, in undis, se reflectentem; erit, v. g., calculus, arthritica materia, lenta et insuspicata phlogosis, vermis, bilis, indigestio, fæx indurata, visceris vel glandulæ frigida congestio (LI).

2^{do}. Debilitatam partem, etiamsi à materia irritante expedita sit, ideò, iterùm spasma frequenti affici, in consensumque cæteras ducere.

3^o. Debilitatam partem nunquam esse, quin aliam oppositi sitûs partem, debilem etiam reddat; constrictâ enim primâ, excedentes ad secundam mittit humores, quæ indè debilitatur: fit ergo pars mandans, et pars accipiens. Hæc ferè semper videre licebit, in hypochondrii, hypogastrii, et epigastrii morbis: mox caput, mox pectus afficiuntur; reciprocèque liberantur, sputis copiosis, alvo biliosâ, mucosâ, vel urinis

turbidis. Hæc videre est quoque in morbo articulari ; debilitas articularum spasmodicos suscitatur refluxus , ad viscera nobiliora , quæ liberantur , criticâ evacuatione ad articulos. Nil mirum , itaque , si tot calculosi , tot colicis , et hypocondriacis doloribus vexati , apoplexiâ demum correpti fuere , sique , præter illas cerebri , multæ in pectore , et abdomine , repertæ sunt læsiones , ante mortem , inexpectatæ !

CXXVII. Denique , vasa rubra et lymphatica , rerum naturalium impressioni obediunt , ut et vi insitæ. Frigido coarctantur ligna , lapides , metalla ; calore dilatantur : an non etiam animalium vasa ? non etiam humores ? Hinc fit ut , subitaneum frigus , corticis vasa constringendo , sanguinem et lympham interiora versus propellat , congestionesque , et effusiones producat , in visceribus debilioribus , ut multa hujus attulimus exempla (LXVI) ; eoque magis , ubi sanguis magis incalescit.

Calor non assuetus , vel solis , vel hypocaustorum , vel thermarum , rarefactione eximiâ quam in animalibus liquidis , fluidis elasticis cæterum commistis , affert , vique propriâ excitante , plethoram subitaneam producit , ad vasa , quâ motus circulationis augetur , dilatanturque ad summum encephalica vasa ; cumque , ob duram thecam , non hujusdem dilatationis capacia sint , ut illa aliorum viscerum , et carniarum , quas rubere , et tumere tunc videmus , idcirco facilius in cerebro effusiones fiunt. Indè tam frequentes morbi , à mutata temperatura , et faciliores adhuc ex transitu ex frigida in calidioram , quàm ex calida in frigidam.

Veris naturalis calor eadem movet in animalibus quàm in plantis ; effervescunt humores , incitantur vasa ; renovantur amores ; sed quoque , cum his hæmorrhagiæ , præcipuè pulmonis , si pars est hæc debilis ; et producuntur apoplexiæ , si mortis semen sit in capite.

Et tandem, observavi, et experimentum feci, depresso barometro, flantibusque austris calidis, et humidis aerem, sicut cucurbitulam, in pulmones agere, hucque attrahi sanguinis et humorum maximam copiam. Cùmque, ex legibus physiologicis, intimum, et reciprocum sit commercium cerebri, et pulmonum, nil mirum aliquoties nasci posse apoplexiam.

CXXVIII. Præmissis huc usque consideratis, nunc facilius erit investigatio, de noxia et utilitate præcipuorum auxiliorum, in cura apoplexiæ, celebrium; de specie morbi, in qua conveniunt; et de tempore quo administrari debent. Prima oratio sit, de venæ sectione.

Monuit *Galenus* (*lib. de curand. ration. per venæ sect.*), non tantum ubi adest plenitudo, sive sit ea secundum vires, sive secundum vasa, mirificè juvare venæ sectionem; verum etiam citra plenitudinem, initio phlegmonæ, quæ, aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem provenit: quippe dolor sanguinem ad se trahit; et sæpè partium debilitas phlegmonem, absque corporis plenitudine, contrahit; cùm videlicet partes fortiores, per venas, seu per canales quosdam, propria excrementa semper ad imbecilliores expellant, formaturque plethora juxta vasa, etc. Inferiùs, declarat cerebrum, perinde ac glandulæ, pulmones, et lien, vel etiam plus, excipiendo fluxui habile. Quamobrem, ad fluxuum hunc minuendum, utilem schola judicavit venæ sectionem, in omni apoplexia, non excepta etiam plerumque serosa, ut in præcedenti capite, vidimus; quòd dixerint: sanguinem semper cum crassis et pravis humoribus misceri; certè semper venæ sectione, aliis auxiliis parari locum; et tandem si non utilem, saltem noxiam non esse, ubi moderatè tantum extrahitur sanguis. Similem nostram quoque esse consecutionem, facile quis

quis arbitraretur, cùm dixerimus antecessam omnem apoplexiam, distentis cerebri vasis.

Felicis forsàn eventûs non abs spe esset scholastica speculatio, si, durante adhuc fluxu, ad praxim applicaretur; verùm, cùm ferè unquam nisi factâ jam congestione, medicus advocetur, intempestivam saltem plerumque esse, ex hoc concludere licet, quòd rarò, à tot seculis, quis apoplecticus, absque instituta prius venæ sectione, mortuus sit. Sed incongruam dico, et etiam lethalem, hanc operationem, ubi habitâ tantùm cerebri plenitudinis ratione instituitur.

Animadvertere primo loco juvat, phlegmonis, seu inflammationis, falsam *Galenum* tradidisse notionem, nihilque phlegmonis naturæ apoplexiam habere, ut primus, et ferè solus jam adnotaverat *Schenckius* (C): 2^{do}. quotidianâ comprobari experientiâ, organorum congestiones particulares, circulationis legibus perrarò obedire, et ferè nunquam repetitâ quantum vis sanguinis educatione vinci, si ex plethora universali non participant; utque, in exemplis, non fusior sim, peto, an unquam, hujus naturæ, uteri, recti, vesicæ urinariæ, etc. congestiones, venæ sectionibus penitùs sanatæ fuerunt? Nemini non occurrerunt curandæ quædam ophthalmiæ, cum tumore, rubore, et dolore, quæ, irritis generalibus, et localibus venæ sectionibus, pertinaciter in eodem statu manent, optimèque se habent cum adstringentibus, et corroborantibus? Sic vidi hæmoptyses in quinquagenariis hominibus, facie roseâ, vitam quietam ducentibus, quæ, pulsu vacuo et tardissimo sociabantur, venæ sectionibus, temperantibus, et aliis, vivaci hæmoptysi, congruis, nihil quidquam immutatas adstringentibus, et excitantibus, potius cohibitas. Horum, quæ etiam in aliis partibus accidunt, rationem sibi reddere valebit, quisquis consideraverit, ob debilitatem, organum fluxionem recepisse, magis, magis-

que adhuc debilitari, novis sanguinis missionibus; in hujusque restituto vigore, ut alacrius, in impactum agant vasa, muniatque sua exercent vasa lymphatica, vel capillaria, unicam salutis spem esse. Eandem igitur, cerebro impacto, applicare theoriam, nullus dubito; et, præter apoplexiam, cephalææ numerosissimæ, debilitantis emortui auxilii, quotidiana offerunt exempla. * Occidere autem venæ sectionem, si

* Cum nostra cerebri hæmorrhagiæ contemplatione theoretica, congruentem nuperrimè legimus, D. Lordat, medici Monspeliensis, opinionem; in eximio tractatu de Hæmorrhagiis, quem, hoc anno 1808, edidit (*Vide hujus excerptum, in Diario Societ. Med. Parisiens. mens. Mart. et April.*). Admittit scilicet hic auctor, hæmorrhagarum octo genera, quorum primum pendet à fluxione universali, et tertium à fluxione locali, quæ sunt, nostris, et priscorum observatis, primariæ Apoplexiæ causæ; quanquam tamen, alia genera non excludantur.

Huic autem non assentio, erosionem vasorum ab acri cacochymia, neganti, cum in numerosa, et attenta clinice, contrarium observetur; neque octavum genus, sympathicæ scilicet hæmorrhagiæ, distinctum existere arbitror, cum *sympathia* abstrusum verbum sit, ejusque suppositi effectus, faciliè ad primum genus, ceu ad spasmos, revocentur.

Fluxionem localem, sive sanguinis, in viscerum parenchymate, vel in capillaribus, congestionem posse esse absque inflammatione, optimè renovavit; undè à novo fluxu inflammatio nasci potest, si resistunt vasa; hæmorrhagiaque, si debilia sunt, ut est apoplexiæ casus, et quoque, ut dixi, pulmonum indolentes congestiones, in quibus nascuntur hæmorrhagiæ, nullo præcesso inflammationis signo. Undè, etiam, phlegmonis speciem habere potest, post mortem, cerebrum, vel pulmo, vel aliud viscus, ut testatur anatomes pathologica, quanquam nullum illius, per vitam, indicium fuerit.

Cæterum, quidquid de hæmorrhagiis à recentioribus scriptum est, jam à priscis cogitatum et observatum fuerat, ut comprobatur habemus in operibus *Calii Aureliani, morb. chronic. lib. II, caput IX usque ad caput XIV.* Undè generis

non liberat, hîc, cum *Celso* dicam: si quidem sanguis est pabulum vitæ, princeps excitantium; et, etiam ubi miscetur cum pravis humoribus, illos temperat, adversusque illos, nervis et carnibus, præsens est tutela.

CXXIX. Alia ratio est, ubi cum morbo conjuncto observatur, plethora sanguinea, universa; tum, me judice, si unquam, certissimè indicatur venæ sectio; quæ etiam, in aliis morbis, plethorâ sociatis, primum et magnum est auxilium.

At, ut juvet, quantum in arte humana est, opprobriosumque non fiat tantum præsidium, non ad unam vultûs colorationem quam fallacem sæpè esse (CVI et CXXI) vidimus, attendendum est, sed omnia plenitudinis signa consideranda sunt: habitudinem, scilicet corporis ægrotantis; si robustas habeat vires; si cibo et potu usus fuerit plurimum nutriente; si, de calore et dolore capitis, antea conquestus erat; si sint oculi tensi, rubri, scintillantes; si suppressas habeat sanguinis solitas evacuationes; si vasa omnia dilatata sint, tumidaque collum et caput, in conspectum veniant. Pulsum: si vehemens sit, plenus, tensus, magnus. Respirationem: si magna sit et fragosa; nam in apoplexia verè sanguinea, pulmones ferè semper eodem tempore ac caput afficiuntur, dum in omnibus aliis apoplexiis, respiratio, primâ et secundâ die, ferè eundem ordinem servat, quem in statu sano. Regula ergo non contemnenda, semper erit, ad venam scindendam, plus vel minus impedita respiratio.

His igitur omnibus perpensis, ubi ad similem apoplecticum vocaberis, fidenter derepentè venam secato,

humani monumenta pervolventi, conspicuum magis, magisque fit, antiquissimum mundum esse, et à sciolis tantum, pro novis, accipi posse, quæ talia hodiernâ præcipiti die celebrantur,

nulla ætatis habita ratione , cùm , non tantùm annorum numero , quàm corporis habitui , morbique magnitudini , animus intendendus sit , cùmque tum verum attingas casum , in quo magis magisque ad cerebrum propellitur sanguis. Excipere suadeo apoplexiam à frigore subitaneo ; cùm enim , frigido corpore , constricta adhuc maneant cutanea vasa , illa relaxari decet , priusquam veniamus ad sanguinis educationem.

CXXX. Quæquæ sit medicamentorum in morbo exquisita virtus , terminus est in quo nedum juvare , potius lædere cernuntur. Id imprimis de venæ sectione dictum sit , quæ , ubi , primâ vel saltem secundâ missione non juvavit , iteratâ nocere ex eo videtur , quòd præcipites vadant ægrotantis res. Etiamque , ubi juvavit , terminus est quo nocet , si repetatur , vel abundantior fiat , propter quòd vigore sufficienti egeat , omnibus in circumstantiis , machina animalis , ut impactos humores ulterius propellat : vidique , neglectâ hâc regulâ , ferè resurrectos ægrotantes , viribus iterum prostrari , post repetitam venæ sectionem , quâ bonum jam obtentum perficere , ineptè crediderant medicantes.

Inertem et risum moventem animadvertere debuit quisque judiciosus lector , in nostra apoplexiæ historia , ferè omnium medicorum methodum , qui , post , ultra modum , debilitantem medicinam , erigere vires tentant , perinde atque si , vitalia adminicula restituere , in nostra potestate esset !

Nimis sæpè chirurgiæ operibus æquiparatur medicina : hæc absque naturæ ope , unitas partes separat , disjunctas conjungit , morbidam partem extrahit , aliam ad aliam accommodat : ista verò , naturalibus auxiliis ubicumque eget ; illorum moribus studere debet ; maximoque judicio in omnibus versari. Unde chirurgiæ semper maxima laus erit , sed nunquam perfectissimus chirurgus sinceri medici officii munus aptè exsecuturus erit ;

CXXXI. Post cognitam sanguinis circulationem, inutilem multi judicarunt, loci mittendi sanguinis electionem; indiscriminatimque, jugularium, pedis, vel brachii, venæ sectionem celebrarunt, modò, magno rivo, flueret sanguis. Id quidem verum, si de vase undique pleno, sermo fieret, sed falsum, si de affluente perpetuo humore, ad partem debilitatam, disseratur. Multi tamen ex recentioribus, sectionem jugularium, aliàs antecedere debere, docuerunt, ob celerius, ut presumunt, vacuefactum caput. At, inutilem dico hanc sectionem (cæterum difficilis et operosa), si de plenitudine capitis tantum agatur (CXXVIII), et noxiam, si pergit adhuc fluxus, cùm vacuum factum, ad fluendum invitet. Sed, in his, observationibus certare licet, non ratiociniis. Ego quidem, viginti ab hinc annis, cùm, tempore caniculari, apud juvenem rusticum vocarer, qui, lignei trunci instar, absque sensu et motu, solio jacebat, largam è jugularibus sanguinis missionem præscripsi, quâ operatâ, derepentè sensus et motus redierunt, brevique æger, summâ omnium admiratione, sanus evasit. Tam felici motus eventu, omnes indè qui in meam incidebant praxim apoplecticos, per varios annos, jugularium sectione primo loco instituta, liberare tentabam: at non æquus succedebat eventus. Quare ad veterum medicorum praxim, et ad illam sôceris mei (XXII), animum convertens, congruentius mihi visum fuit, à venis cubiti initium facere, et si iterare juvat, deindè crurum venas scindere: didicique, in arte nostra, non à solo casu fortunato, regulas depromptas esse debere, sed ab his quos frequentius utiles fuisse noscimus.

Non unâ vice, sectæ saphenæ, in febribus, cum cerebro affecto, revellentem felicissimum exitum expertus sum; hanc summis laudibus extollit *Petrus à Castro*, in libro de febre maligna, qui cum opere

Torti, auro pretiosus mihi fuit, cùm in ditione Mantuana, militarem medicinam exercerem; narratque ille, hoc auxilio, infinitos postmodum evasisse, in constitutione epidemica, anno 1629, urbem Venetam depopulante, in qua, ut fieri solet, maligni succi ad caput, et partes principes, raptu ferebantur, acutas phrenitides, et horrenda deliria excitantes. Evasit et ipse *Galenus*, suo tempore, à febre pestilenti, per Asiam immaniter grassante, sanguine ad binas libras è cruribus extracto.

CXXXII. An, cucurbitularum applicatio, priscis et recentioribus (CVI) adeò celebrata, scarificatâ cute, venas cerebri è directo vacuare potest, nunquamque nocet, præmissis aliis venæ sectionibus, jam debilitato ægro, etiam tum in usum vocata?

Inquit *Rhasis l. 3, aphorismorum*, se regem *Hamech* filium *Hali*, apoplecticum jam desperatum, et ab aliis magistris, odoriferis medicatum, ventosa collo apposita, velociter ab illa ægritudine sanasse. Legimus in vita *Hieronimi Fracastorii*, illum apoplexiâ correptum, et amisso penitus sermonis usu, manu sæpiùs in verticem exporrecta, iis qui aderant innuere voluisse, ut celeriter cucurbitula, affecto et laboranti cerebro subvenirent, quâ ille monacham olim curaverat; quâ re, nequaquam intellectâ, leniter sub noctem exspiravit.

Repetitam hanc historiam lego apud ferè omnes auctores; sed notandum apoplecticos ferè omnes desperatos, qui certè cucurbitularum et nomen, et usum ignorant, manum in verticem, aut aliam capitis partem sæpiùs exporrigere (VI), unde timendum ne automaticum motum, pro scientifico, ut non rarò evenit, adstantes habuerint. Quidquid sit, cucurbitulis scarificatis sæpè usus sum, et bonâ fide profiteor, me nunquam expectatum, ab his, in occipitio, collove appositis, eventum observasse; quinimò, sit à

nova evacuatione, nova debilitas, sit à motu et jactatione, labor impar, stertorosi magis fiebant ægrantes, in pejusque ruebant. De hirudinibus eadem dicta sint; mecumque discant juvenes tirones, illa quæ in libris sanant, non semper in actu sanare; ab unoque, ad universum, ut jam diximus, absurdum esse concludere.

Cucurbitulæ siccæ, plurimo igne calefactæ, et variis locis à capite remotis appositæ, ut nunquam nocent, suam è contra habere queunt utilitatem, ob vim quâ pollent, excitantem, et attrahentem.

CXXXIII. Utilia semper judicata sunt alvum ducentia, in morbis capitis; est enim in *Hippocratis* sententiis, et quotidie observatur, alvi fluxum solvere delirium, tinnitus aurium, et surditatem, quæ superveniunt in morbis acutis. Id etiam peculiare, præter evacuantem vim habent purgantia, ut irritationem quam in intestinis adducunt, illam quæ in capite potest esse, retrahere quodammodo valeant. Optimè itaque cum ægro agitur, liberâ deglutitione, purgans medicamentum ministrando. Vehementia antiquorum erant purgantia, et etiam Arabum; videmus enim *Avicennam* euphorbium similiaque acria præscripsisse, ab initio omnis insultûs apoplectici; etiam tum inchoante seculo proximè elapso, in potione purgativa, unciarum sex, vini emetici uncias quatuor, medici addebant, vulgari observatione moti, difficile, in soporosis affectibus, digestionis viscera excitari.

Juvare quidem aliquoties potuit audax hæc medicina; sed debuit quoque non semper desiderata tutâ conditione donari, cum illam damnaverint medici judiciosi, et non infimæ famæ (CV, CVIII, etc). Ill. *Bordeu*, quanquam purgantia drastica, et emetica quandoque utilia fuisse profiteretur, illa tamen timebat, quòd sæpius motos humores ad cerebrum propellant, illudque magis ac magis impediunt. Ego au-

tem , drastica timeo , in cura , non solum sanguineæ apoplexiæ , sed etiam in illa à serosa colluvie , ob colliquationem et collapsum , frequenter nimiam alvi evacuationem prosequentes. Quapropter , omnibus aliis , purgantia ex salibus mediis antepono , quæ , absque perturbatione , abundè alvum ducunt , his , quoties à frigida serosa causa , apoplexia conjectatur , sennam addendo. Eadem cæterùm sit regula in hac evacuatione , quàm in venæ sectione , scilicet , ne ultro nimis alvus solvatur , cùm indè quoque viderim hemiplecticam affectionem renovari.

Utiles alvum cientes in apoplexia , à qualibet plethora , minus tuti videntur quoties à quarumdam abdominis partium spasmis , suscitata , conjectare possumus apoplexiam ; suspecta imprimis habere decet drastica , quæ nonnisi spasmos concitando , operantur.

CXXXIV. Minùs cautè agendum est cum clysteribus , quorum materia , cum nonnisi crassa intestina subeat , minores perturbationes producit. Clysmata quidem , teste experienciâ , sæpè magis prosunt quàm purgantia , semperque minus lædunt. Duobus modis agere videntur , 1^o. evacuando intestina crassa , unde aliorum intestinorum contenta attrahuntur ; 2^{do}. punctum irritationis determinando , quòd efficacius eò operatur , quò magis à capite distat ; et , neque infrequens est consensus , hæmorrhoidum cum cerebro. Cum fructu ergo , semper , injiciuntur clysmata , leviter alvum sollicitantia , acria , anti-spasmodica , nervina , pro natura morbi , et symptomatum ratione.

Multi prisci , ut dictum est , ante venæ sectionem clysterem injiciebant ; arbitramur autem , ubi necessaria , judicatur sanguinis eductio , eam omnibus anteponendam esse , inde clysterem injiciendum : in omni verò alia apoplexia , ubi de venæ sectione sermo non est , quàm citò à clystere , curam incipere , optimum judico.

CXXXV. Melancholicis et maniacis , *Hippocra-*

tes, helleborum ad vomendum præscribat, (*de diæta*, l. 1.) ; in defluxionibus, quæ, nares, aures, os, occupabant; in lassitudinibus, œdematiis, hydrope, leucophlegmatia, phthisi, cholera morbo, etiam; (*de morb.* l. 1, *epidem.* l. 5, *et de intern. affect.*). At nullibi legitur in apoplexia illum emetica præscripsisse. Primus *Aretæus*, de vomitu locutus est, at cum prudentia; inde *Archigenes* (LXXXIII, et LXXXV), raraque fit emesis mentio apud *Dogmaticos*, usque ad seculum XVI.

Observantes dein verisimiliter medici, in affectibus cerebri, ferè semper nauseam et vomitum suscitari; hemicraniam, variasque cephalalgias, sæpissimè in stomacho causam proximam habere; vomituque repetito curari: apoplexiam quoque in qua non rari sunt vomendi conatus, emetico medicari posse judicarunt. Habuit inde, ut vidimus, hæc methodus, suos fautores (XCIII, XCV, XCVI, XCVII, XCIX, CI, CII, CIII, CV, CXI), et detractores (XCIV, C, CIV, CVI, CVII, CVIII, CX). Secundos exitus, alii narrarunt, alii adversos; et præterea, perturbantes motus, humorum majorem ad cerebri appulsum, ægrumque vomitum adjuvare imparem esse, ultimi timuerunt.

Si consideretur equidem emeticorum modus agendi, metum à primo visu incutiet, ne cerebrum ab hoc patiatur. Narrem quæ ipse expertus sum: primò, levis animi defectus; sensus turbatus; pallida facies; tremet labium; spasmodicè agunt omnia, ab extus ad intus; motu convulsivo contractis musculis abdominis, pectoris, diaphragmatis; ventriculi, tandem vomitus cietur; at, tunc, inflatur collum, tument et rubent oculi, aures, vultus. Natæ apoplexiæ, instante vomitu, sunt exempla, unde cautè agendum esse cum plethoricis, et collum breve habentibus, monent omnes auctores.

Unde-ne , ergo , à gravibus viris , adeò commendatur vomitus ? In hoc , malè actum est , quòd de apoplexiæ specie non locuti sint , quòd nullam dederint morbi et ægrotantium descriptionem , vagisque tantum verbis , utilem in apoplexia fuisse vomitum , plerique posteros docuerint . Non quidem certè unquam in sanguinea utilis fuit ; sed juvare potuit quoties crapulâ vel indigestis , plenus erat ventriculus ; vel in his hominibus phlegmaticis , pituitosis , catarrhosis , qui , singula manè , frigida , glutinosaque , per multas horas expuunt , et quæ suppressa , apoplecticum quemdam morbum producere queunt . In illis , emetica , non solùm viscidæ , catarrhosæque materiæ , evacuationi favent , sed etiam absorbentium vires adaugent , unde si quid seri effusum est , reassumitur ; tum quoque , sudorem excitant , quo sæpè similes apoplexiæ judicantur .

Ad confirmandam emeticorum virtutem , comatum puerorum *Riverius* affert exemplum , quæ vomitivis optimè sanantur . Ego quidem , felici experienciâ ductus , omnibus pueris , sensu motuque derepentè orbatiss , et sæpè cum convulsivis motibus , solutionem tartari stibiati , in aqua aromatica , cum sirupo , audacter propino cochleatim , usque dum vomant , et vomitu liberentur . At sciendum , 1^o . in pueris faciliùs vomitum suscitari quàm in adultis ; 2^o . horum comatum causam ferè semper esse viscida , glutinosa , indigesta , vermes , etc. , in ventriculo , et intestinis contenta , unde non mirùm si emeticis tollatur ; 3^o . faciliùs excitari vomitum , minoremque esse timorem ne propellatur sanguis ad cerebrum , ubi materia est in ventriculo , quàm ubi est vacuitas ; unde adeò vacuitatem timebat Schola *Gnidia* , ut nunquam , nisi post cibum , vomitivum *Hippocrates* ministraret , ut ex omnibus suis operibus elucescit : et non facilè invenitur ratio , quare opposita consuetudo invaluerit .

Nocua igitur declarare posse emetica credimus :
 1°. in plethora sanguinea , suis signis planè manifestata ; 2°. in apoplexia à spasmo , quæ macilentis , sobriis , irritabilibusque hominibus succedit , et in quibus spasmos auget vomitus ; nisi tamen in ventriculo hærere materiam evacuandam , dubitetur ; 3°. quotiescumque æger suï non adeò compos est , ut emetici actionem adjuvare possit , frequenti tepidæ haustu ; tunc enim nimis irritatus ventriculus , facilè ad inflammationem , et gangrænam transit.

Convenire autem possunt emetica : 1°. in apoplexia post crapulam , vel indigestionem , dummodo citò ministrentur , præmissâ tamen venæ sectione , si plethoræ sint indicia ; 2°. in apoplexia à venenis ingestis ; cum iisdem cautionibus ac in crapula ; 3°. in apoplexia quam præcesserunt et comitantur indicia saburræ biliosæ , vel mucosæ , regnantibus imprimis populariter febribus gastricis , vel catarrho-gastricis ; 4°. in apoplexia , suis signis manifestata pendere illam à colluvie serosa , mucosa , cacochymica , et ubi præcesserunt copiosæ exscreationes suppressæ. Sub his tantùm ergo conditionibus , utilem spero vomitum ; aliàs , non motus à vomendi conatibus , cùm , rectè adnotante celeb. *Tissot* , à morbo , non à materia , hi excitentur.

Vehementiora autem emetica administrare , inutile et noxium est ; cùm si , sufficienti dosi tartari stibiati , vel radicis Brasiliensis , vomitus non cieatur , vitriolum et helleborum pariter impotentia judicare liceat ; ego quidem ipecacuanam ad grana viginti , cum emetici granis duobus , mixtam , in quibuslibet soporosis affectibus , efficacem expertus fui , quoties materia vacuanda ventriculum occupabat.

CXXXVI. Ut copiosius lectori compertum fecimus , nullus à remotissimis temporibus fuit , qui , exutoriorum usum , in apoplexia neglexerit ; nullus mor-

bus in quo crudeliùs cum ægro actum sit. Cauteria , setacea , sinapismi , vesicantia , ipsæ laminæ ferreæ ignitæ , plantæ pedum , vel cranii suturis admotæ , aliaque similia , celebrantur à ferè omnibus practicis , arbitrantibus nimirum , nihil esse nimis , in coacta ac repentina teterrimi morbi curatione.

Quanquam tamen de generali exutoriorum utilitate , in curandis morbis soporosis consentiamus , fateri debemus irritam sæpissimè esse illorum applicationem , aliquotiesque nocuam , neque indifferentem esse electionis locum , ad istam medicationem. Exutoria itaque considerabimus tanquam excitantia , tanquam evacuantia , et tanquam anti-spasmodica ; indèque de eligendo eorum admotionis loco , sermo erit.

Excitantia esse omnia exutoria , nemo est qui dubitet ; præsertimque , ob hanc virtutem , in morbis soporosis apponuntur : cordi enim et arteriis , stimulum addunt , sanguinemque celerius quàm antea , in circuitum agunt. In apoplexia ergo à plethora sanguinea , impetum , et morbum idcirco adaugent ; unde , quæque sint , illa ab hujus apoplexiæ curatione , excludi debere , censeo ; et sic quoque judicat D. D^{or}. *Wauters* (*tractat. de exutor. delect.*).

At , eximiæ utilitatis esse possunt ; 1^o. in plethora à cacochymia , dummodo illa non sit scorbutica ; hoc enim in casu , gangrænam sæpè producant , convulsosque provocant motus : crederem , idcirco , noxia fuisse vesicantia , in apoplexiis de quibus *Baglivus* (CII), vel si vis , propter quòd , in plethora sanguinea , indiscriminatim apponerentur. 2^o. In affectibus soporosis , à serosa colluvie. 3^o. In apoplexia ab acri materia repulsa , ut à materia erysipelacea , variolosa , herpetica , scabiosa , ulcerosa. Duo hujusmodi felicia exempla refert D. *Wauters* (opus cit. §. 193). 4^o. In apoplexia à frigore. 5^o. In apoplexia à motibus spasmodicis.

Donari vesicantia virtute anti-spasmodicâ , vix dubitare possum , cùm sæpissimè illa viderim abdomini apposita , colicæ spasmodicæ motus et dolores sedare , et suris applicata , in hypochondriacis , et epilepticis , ascendentem quam sentiebant auram , progressu arcerè.

Discernere autem oportet , an tantùm excitante vi opus habeamus , an quoque evacuante. In primo casu , cùm properare debeamus , exutoria eligenda sunt citò operantia , inter quæ non sunt vesicantia cum cantharidibus. Expertus sum multò citiùs agere sinapismos , confectos ex semine recenti sinapi , allio , fermento , et aceto , variisque corporis partibus continenter admotos. Si tardiùs agunt , etiam vesicæ aquâ bullienti plenæ , in usum vocari possent. Interea , congruentibus locis apponuntur vesicantia , ut , continuo stimulo , sopitæ animales actiones , è cerebro revocentur.

Ignis applicationem , variis in corporis locis , minus laudo , quòd plagas crudelissimas faciat , quæ revera in minimis ponerentur , si , hoc auxilio , absque dubio , ægri ad vivos revocarentur ; sed usu exploravi ignem etiam ferè semper in perfecta motûs et sensûs abolitione , impotentem esse. Mihi enim , à quindecim et amplius annis succedit in nosocomiis , epilepticos milites explorare , an morbum non fingant , missionem habendi gratiâ ; atqui , vocatus , instante paroxysmo , cartam accensam , carbones ignitos , aliaque similia comburentia , dorso , manu , aliisque nudis corporis partibus appono , comburereque sineo , ut multi diuturnas plagas habuerint ; nullus tamen motus , nullus sensus suscitatur , si sincera sit ægritudo , usque dum paroxysmus terminetur. Sed levis , ut diximus , et temporaria , apoplexia est , morbus comitialis : feliciùs-ne in apoplexia forti operabitur ignis , inanis in leviori ?

Vesicas equidem producunt sinapismi , et alia exutoria ; at , adeò durabilis non est inde sequens suppu-

ratio, quàm illa à cantharidibus: quamobrem, quoties necessaria judicatur seri diuturnior evacuatio, ad vesicantia est confugiendum, quibus, ut promptiùs, et acutiùs agant, euphorbii pulverem adjicimus.

Quoad appositus locum, eligendus mihi videtur, pro apoplexiæ specie. Propè ipsum cerebrum, vel in tota calvariæ parte capillata, derasa, vel in nucha, applicare docuerunt vesicantia, *Wepferus*, *Sydenhamius*, *Riverius*, *Willis*, *Ettmuller*, *Hoffmannus*, alique, non modò stimuli cerebro communicandi gratiâ, verùm etiam ad derivandam materiam morbificam, per suturas, et foramina cranii; *Cullen*, ut vidimus, hæmorrhagiam cerebri, sistendi gratiâ, ad caput vesicantia apponebat. Utinam doctæ speculationi semper eventus pares essent! at, nedum efficaciùs operentur vesicantia ad capitis vicinia apposita, quin è contra in delicatioribus sæpè traumaticos motus producant: ego quidem, sæpissimè, nimis, absque fructu, cucupham epispasticam capiti raso applicavi; et collatione factâ utilitatis vesicantium calvariæ, et nuchæ appositorum, cum illa de vesicantibus suris admotis, frequentiùs longè hæc ultima utilia visa fuisse, candidus asserere possum. Illius auxilii, statim, ab initio, adhibiti, non satùs multoties virtutem demirari debui, in febribus cum capite affecto.

Eximius chirurgus *Desault*, (*œuvres chirurg. 2^{de}. partie. Plaies de la tête.*) postquam cranii terebrationem, in magno Parisiensi nosocomio, ut noxiam, exclusisset, cucuphæ vesicatoriæ, capiti appositæ, et stibiatarum potionum, loco trepani, in capitis vulneribus curandis, usum eligerat: bonos quosdam effectus à vesicantibus primùm obtinuerat, sed caducos, cum in soporem, ægri mox relaberentur; quapropter, ab illis descivit, et ultimis vitæ annis, evacuantibus stibiatis tantummodo fidebat, vulneratumque caput, emollienti uno cataplasmate, tantum obducebatur. Si,

autem flaccida adeò sit vesicantium virtus, in topico, ut sic dicam, cerebri morbo, quid ab his sperandum, ubi continenter ad caput, sanguinem, aliosve humores, vires vitæ propellunt?

Itaque, de illorum applicatione sequentes habeo regulas: in apoplexia, à serosa colluvie, à plethora, sive fluxione locali, et à plethora cacochymica, suris et nuchæ colli, eodem tempore, vesicantia appono, quòd sit, in hac apoplexia, materia localiter extrahenda, neque nervorum mobilitas adeò metuenda. In ægris autem siccis, humoribus non obnoxiiis, naturâ irritabilibus, quosque à causa spasmodica, in apoplexiam lapsos coniecto, suris illa apponi curo, variarique in locis à capite remotis, ubi jam rubefactæ primæ partes observantur: sicque potentissimè, si integrum adhuc est tempus, vitiosi motus à cerebro revelluntur, nullusque timor est ne magis ad cerebrum attrahantur, quòd, in hujus apoplexiæ specie, applicatis ad caput exutoriis, succedere potest.

CXXXVII. Assentire nequeo laudato D. *Wauters* (opus citat.) dicenti: ubi natura jamjam morbo succubitura videtur, licere adhuc tentare ignem, ut remedium vehementissimum ac promptissimum, eò quòd *Lancisius* (*de mortib. subitan.*) notaverit observatum fuisse à medico qui ægris curandis præpositus erat, in zenodochio insulæ Tiberinæ, aliquos de plebe, quos nullum quantumvis validum, atroxque remedium, à fortibus apoplexiis excitaverat, per admota plantis pedum ignita ferramenta, ad vitæ officia, subito revocatos. Dico, autem, accuratam considerationem similia narrata non mereri, cùm *Lancisius* aliique, qui de his portentis loquuntur, de specie morborum nulla recenseant; cùm non possit excitatio, à pedibus ad cerebrum, igne communicata, sanguinem jam effusum excutere, læsumque cerebrum, in integrum revocare; cùmque debeat medicus, qui rationis

et experientiæ auxilia exhaustit, fortuitos eventus vulgo relinquere.

Culpabilior insuper mihi videtur methodus ferrum candens applicandi ad suturam coronalem et sagittalem, quo inurentur non solum integumenta, sed et ossa cranii, ad diploen usque, ab *Hippocrate* et multis priscis commendata, in variis capitis morbis, et à Schola *Galenica*, per multa secula, celebrata. Hujus se periculum fecisse testatur celeb. *De Haen*, in cephalæa pertinaci cum hemicrania; in inemendabili epilepsia, et in amaurosi; et quanquam ustio vix leviter externum cranium tetigisset, omnes quibus instituta fuit hæc operatio, inopinatâ morte brevi sublatisunt. Secto corpore, dura mater inustæ plagæ subjecta, jam ab externa sui parte quâ os tangit, suppurari leviter inceperat; aragnoidea videbatur, ibidem loci, cum pia matre corrugata: per universum cranium, ambæ meninges, admodum inflammatae erant. Atqui, si cauterium quod levissimè modò crania tetigit, lethum induxit, quid non sequatur, necesse est, si uratur profundius, jussu auctorum? Inde, concludit *De Haen* (et nos cum prudentissimo hoc magistro): 1°. veterum, recentiorumque complures, non ea quæ viderint, expertique fuerint, verùm ea duntaxat, quæ alibi audiverint, legerint-ve, scripsisse: artem proinde istos, non experientiâ, sed onerosis auxisse voluminibus. 2°. Fuisse dubio procul, qui fortè semel operationem viderint, eamque (sive quòd inflammatio meningum resoluta fuerit, sive quòd meticulosior artifex, aut non penitus candefecerit ferrum, aut cranium vix tetigerit) lethiferam non fuisse; imò quòd fonticulus inde excitatus morbum levaverit, profuisse observaverint: pessimè verò ex rariore observatione, generalissimas regulas posteris tradidisse. 3°. Qui verò pluries hanc cranii adustionem perfecerint, et nonnisi faustissimam descripserint eandem,

eamdem , hos suos paucos fortunatos casus enarrasse modo , plures reticuisse infaustos , quo nihil in medicina damnabilius. *Ratio medend. vol. 2 , cap. XII.*

CXXXVIII. Fragrans aromaticorum turma , mille modis composita , et ordinata , suum semper habuit locum , in apoplexia , apud antiquos , et etiamnum apud vulgus. Ab hac recedere incoeperunt medici , sub finem seculi decimi septimi , moti exasperatis *Sydenhamii* , adversus calefacientia , declamationibus , et , inde , nato usu , æquo pede calida timere , quo patres frigida metuebant (nihil enim in nobis modicum) ; et tamen , quis de rerum utilitate , sensibus sapientior iudex ? Quid nervorum amicitius , gratis odoribus ; quid vires potentiùs erigit , quàm calidæ , spirituosæ , aromaticæ potiones , ventriculi nervos permulcentes ? Quàm vitæ dono sapientiùs , et dulciùs frui mihi videntur orientales populi , qui , nunquam mutato more , tranquillos , et incuriosos , in odora- mentis ducunt dies ! Omnibus peto , an potu cafeti , verbi gratiâ , vel cujusdam grati et spirituosi , non magis sensus , viresque recreentur , quàm venæ sec- tione , vel nauseabundis , nitratis decoctis refrigeran- tibus ? An non , ex volatilibus , et aromaticis , inges- tis , aut variâ formâ applicatis , in catarrho cerebri , hemicrania , memoriæ defectu , præsens solatium ferè semper accipimus ? Modum agendi ignoramus , sed nos non fugiunt effectus ; ubique tandem , odores et can- tus abundè natura diffusit , ut , inprimis his admini- culis , gaudeamus !

Citra igitur apoplexiam sanguineam , cui omnia no- cent stimulantia , in omnibus aliis speciebus , spirituo- sorum , volatilium , aromaticarumque plantarum infu- sionum , usum tum externum , tum internum collau- damus , ad sustentatas vires vitales , ut adversus im- pactum ruere feliciùs possint. Neque duntaxat , odo- ratu , fotu , frictione , haustu , administrari debent

aromaticæ, et anti-spasmodicæ species, sed in cibo, potu, potionibus laxantibus, clysteribus commisceri. Magnum certè exemplum illarum virtutis, nobis præbet vulgus, dum, in quacumque levi apoplexia, et in omni animi defectu, ad spirituosa, et aromatica confugiens, plerumque meliora sortitur, quàm ubi doctoralis ignorantia aliucinationibus, bonâ fide traditur.

C A P U T V I I .

Nostra apoplexiæ divisio, atque medendi methodus, sequentibus quorundam apoplecticorum historiis.

CXXXIX. **C**ONSEQUI, ex omnibus huc usque perpensis, mihi visum est, subtiliorem, et minus tutam esse apoplexiæ divisionem, quoad proximam causam suspicatum; prudentiùsque fore apoplecticum curare, non à concepta specie morbi, sed à curiosiùs investigata natura ægrotantis. Itaque ad apoplecticum accersitus, confestim inquirò, an sit plethora boni sanguinis (CXX et CXXIX); plethora cacochymica (CXXI et CXXII); vel si, universa non existente plethora, fuerit tantùm vasorum cerebri plenitudo (CXVII et CXXVIII); aut si æger, cæterùm non plethoricus, spasmis, abdominis cruciatibus, et animi pathematibus, vexatus fuerit (CXXIII, CXXV, CXXVI). His cognitis, ad causam occasionalem, anni tempestatem, et morbos sævientes, animum volgo, indèque quàm citò (medici enim prompta debet esse intellectûs operatio, cùm tempus sit præceps) curationi manum admoveo. Hanc in usu positam divisionem, speculativam si placet, reddere

poteris , apoplexiam discerpando , in *sanguineam* , *cachecticam* , et *spasmodicam* vel *nerveam*. Huic ultimæ additamentum erit apoplexia à *locali capitis plenitudine* ; cùm illarum eadem mihi videatur mendendi ratio , frèquenterque , ut verisimile est , hæc , propter novum humoris affluxum , apoplexiam geniat. Semper autem cum generali morbi notione , utilem sociatam reor , de antiquiori infirmo cerebro , cogitationem. *

CXL. Priusquam , autem , de curanda singulatim apoplexia sermonem faciamus , quid in omnibus , universum providendum sit , monere juvat.

1^o. Elatiori , quantum fieri potest , schemate , jaceat æger , collo reliquoque corpore , ab omnibus integumentis , et fasciis , libero. In cubile autem tantum adsint necessarii ministrantes , cùm à multis vitietur aer , et in exsequendis , confusio nascatur.

2^o. Cuneo ligneo , dentes inter posito , os apertum ut maneat , curetur.

3^o. Cum sæpissimè , ægri mente capti , deglutire non valeant , possitque existere pharingis resolutio , unde metus ne laryngem ingesta ingrediantur , ægerque suffocetur ; nunquam quid hauriendum , apoplectico propinare decet , priusquam paucis aquæ guttis introductis deglutire illum posse certi fiamus. Impeditâ verò deglutitione (quod cognoscitur , immobili cœsophago et larynge , post aquam introductam) confugiendum est , ut primus proposuit *Aretæus* , et ut egregiè perfecit celeberr. *Desault* (*Œuvres de Chi-*

* Propositum in textu , in historiis ægrorum , factitatum non semper invenies. Ratio est : 1^o. quòd tardè nimis apoplexiæ naturam curiosiùs investigaverim ; 2^o. quòd in medicando , rem angustam , incitiam , rusticitatem , superstitionemque ferè semper adversarias habuerim : oportet enim non solum se ipsum exhibere , quæ decent facientem , sed etiam ægrotum , et præsentem , et quæ externa sunt. (*Hippocrat.*)

rurg. 2^e. part. p. 254) , ad tubum vacuum ex gummi-elastico , per nares introductum , quo , syringæ ope , liquida alimenta et medicamenta , facilè in ventriculum ducuntur. Faustæ narrantur hujus methodi observationes in illius eximii chirugi operibus ; meritòque monebat , ut quàm citò hoc auxilium tentaretur , eò magis quòd nihil ab hac operatione sit metuendum. Miror equidem quod ab *Aretæo* , nemo illam proposuerit in apoplexia , cùm tamen certus sim , in tam sæpè impedita apoplecticorum deglutitione , et in tam communi medicantium ignorantia , sæpiùs suffocatos perisse ægros ab introductis liquidis in glottidem ; quorum interitum , morbo , non imprudentiæ imputaverunt. Esto ergo hæc lex , in omni apoplexia , quoties æger mente est captus , vel quoties quoquo modo impeditur deglutitio.

4^o. Bis in die , urinaria observetur vesica , et sit licet urinæ juge stillicidium , cathetere evacuetur , si prominens maneat.

5^o. Nisi urgente necessitate cibos et medicamenta administrandi , à somno ne suscitetur apoplecticus (XXIV) , cùm ab hac functione recreetur vita , multosque videamus ægrotantes , etiam à soporosis affectibus , post somnum naturalem liberatos. A sopore verò , conclamationibus , luce splendidâ , instrumentorum sonitu , similibusque non vehementioribus , quantum possibile est , excutiantur.

6^o. De prognostico , prudentes sint adstantes coram ægro , cùm ultimus apoplecticos auditus fugiat (VII) , cùmque sæpè quos sentire non credimus , inter se meditentur , quæ alloqui non possunt. Terror autem princeps omnium debilitantium exstat.

CXLI. Plethorico , à bono sanguine , apoplectico , priùs capite denudato , aeri frigido exposito , reliquoque corpore levibus stragulis operto , quàm citò sanguis mittatur , ad uncias octo , decem , duodecim , pro

natura hominis , et adhibitis cautelis , ab *Aretæo* (LXXXIII) præscriptis ; quibus addere placet : necessariam quidem esse opprimentis sanguinis depletionem , sed necessariam quoque esse , ad virium vitalium integritatem conservandam , quamdam vasorum plenitudinem ; ideòque , fluente sanguine , pulsum ægrotantis frequenter explorare debere medicum , memorem , multos à sola natura medicatrice liberatos fuisse , multòque numerosiores non surrexisse , quam non defuissent venæ sectiones , aliaque artis adminicula.

In brachio , prima venæ sectio institui debet , et etiam aliquoties , paucas post horas iterari : secundam tamen , vel tertiam , pro re nata , præscribere malo in saphena , si satis conspicua est : ab hac enim faciliùs cerebrum levatur (CXXXI) , revulsionem cæterùm testante , frequentiori animi defectione , inter hanc , quàm in aliis venæ sectionibus. At , nota benè , allevationem à sanguinis educatione , citam esse debere ; quæ si non sit , ut è contra in pejus cadere videatur æger (quod illico accidere vidi) , ne credas te , repetitâ venæ sectione , felicior fore ; sed ab omni ulteriori sanguinis educatione , generali , vel locali , abstine. Ne te decipiat etiam , si inter venæ sectiones , elatior pulsus evadat , cùm tamen motus et sensus non redeunt : et , si , intermittat nonnunquam , rigorque accedat , etiam apparente quâdam symptomatum remissione , mortem præ fores esse credas.

CXLII. In promptu sit , post primam venæ sectionem , clyisma emolliens , carminativum , et salitum , quod omni bihorio repetatur. Post ultimam verò sanguinis educationem , potui detur potio purgans , ex sale medio , unciam unam , vel unciam unam et semi , manna , ad uncias tres , in unciis quatuor vel sex , ad summum , infusi seminum coriandræ , feniculi , vel anisi. Omnia hæc perfici debent , intra viginti quatuor

horas à primo insultu ; juscula carnea , herbacea , et potus diluens ex aqua frigida , cum nitro , et aceto , vel alio acidulo succo , reliquam paginam postea adimplent : celer enim hic morbus est , et brevè desinit in salutem , aut in mortem , aut in paralytim , quæ tunc alia auxilia poscit. Exempla :

HISTORIA I.

Die 25^a. Decembris , anni 1805 , horâ tertiâ pomeridianâ , uxor mercatoris , quadragenaria , corpore robusto , alto , et subpingui , gulæ et Baccho plurimum addicta , attonita cecidit , inter amicos , pocula , et lusoria folia. Ad illam accersitus , extensam humo inveni , insensibilem , immobilem , et adeò ponderosam , ut ex taberna , in cubile , ferri non potuisset. Facies erat ex rubro violacea ; pulsus vehemens , et plenus. Instituta illico venæ sectione ex brachio , ad uncias duodecim , paulisper sensum , motum et loquelam ægra recuperavit , unde ut in pede , post horam , iteraretur præscripsi. Post hanc secundam sanguinis missionem , ita redierant functiones animales , ut è taberna in cubiculum transferri potuerit. Horâ octavâ vespertinâ hujusdem diei , pulsus frequens et ferè febrilis fiebat , dissipabanturque , quæ sensus aliquantisper adhuc involvebant , torpor et nubeculæ , remanente paralyti lateris sinistri , à medietate linguæ usque ad pedem. Eâdem die , clysmâ ; et 2^{dâ} , 3^a , et 4^{tâ} , potus refrigerans et laxans , cum diæta tenui. 5^a. die , vesicantia , nuchæ colli , brachio , et tibiæ , paralyticis , apposita ; febris. 7^{mâ}. die , restitutus sensus in membris paralyticis , libertasque perfecta loquelæ , ut hæc mulier , habitu garrula , loquacitate molesta mihi fieret. 11^a. die , persistebat febris , cum vespertina exacerbatione , sed moveri brachium incipiebat. Die 14^a ; digiti , et dierum progressu , femur ,

et crus, ut 21^a. à morbo die, ægram baculo sustentatam, in cubile deambulantem invenerim. Demirabar naturæ motus salutare, et à septimâ die, illis favere tentabam decoctis flor. arnicæ et rad. valerianæ sylvestris, julepis excitantibus, cum kermete minerali, frictionibus siccis, et rudibus, quibus succedebant unctiones sapone ammoniacali. Molesta autem erat diæta medica, quanquam plenior, molesta medicamenta; iterum gulæ et Baccho indulgebat inemendabilis mulier; monenti medico, irridebat, et dum intemperanter viveret, Sanctis, illorumque ministris dona offerebat, ut in integrum restitueretur. Idcirco crus firmum et sanum omnino non fiebat. Quare indignatus, huic vale dixi. Hebetis ingenii pœnas luit misera, si pœna est mori: nam sex mensibus, à prima invasione, me à Martigiis absente, iterum apoplectica incidit, et intra paucas horas sublata est.

HISTORIA II.

Serva parœciæ Rectoris, vidua, quinquagenaria, pinguis, bene nutrita, sanguineæ habitudinis, absque motu, labore, et curis tunc vitam degens, quibus tamen proximis annis expers non fuerat, corripiebatur, die 26^a. Julii, ann. 1806, insultu apoplectico, à quo extemplò surrexit, hemiplectica lateris dextri, cum aliquo tamen resolutarum partium sensu. Ad ægram citò accersitum, me moverunt, facies rubicunda, vasa plena è vita anteacta, ut illico ex cubito sanguis extraheretur ad uncias decem, illo cum fructu, ut fluente sanguine, dissiparentur nebulæ cerebrum occupantes (ut aiebat ægra), et quid motus in artubus affectis nuntiaretur. Ut autem perficeretur hujus venæ sectionis beneficium, cum vasa adhuc summè turgida essent, aliam, quatuor post horas, præscripsi in pede, ad uncias octo. At sit chirurgi negligentia, aut sangui-

nis in aqua fluentis quantitatem metiri non valuerit, ut facilè evenit, plus æquo, quàm jusseram, detraxit. Successit inde, ut non æquale beneficium ex hac secunda venæ sectione ægra retulerit, sed debilis multum fuerit. Itaque ad corroborantia confugere debui, et secundâ die, decoctum arnicæ, valerianæ silvestris, serpentariæ virginianæ, cum vesicantibus nuchæ colli apposis, in usum vocavi. Sub finem hujus diei, nascebatur febris moderata, persistens per plures dies, cum levi vespertina exacerbatione, et sudore levi, universo, undè sensim sensimque integri redibant sensus et motus, primò in brachio, secundò in manu, tertio in digitis, et quartò in femore et crure. Adhibebam quoque, ut adjutorium, frictiones, ter in die, et unctiones, cum balsamo sulphuris terebenthinato. 14^a. die, cum omnia prosperè cederent, ægraque jam in cubiculum deambulare posset, parochus locutus est de purgatione, *ad terminandum morbum* (ut plebs arbitratur); cum enim alvus officio fungeretur, nullum de purgantibus sermonem feceram. Obtemperavi, cogitans de levissimo quodam laxante, minus ad necessitatem, quàm ad formam, his in locis necessariam, et imprimis apud homines, ut parochi in genere, qui scientiam medicam, doctis adèò arduam, percallere se arbitrantur. At, ille, in pulvere drastica dicta d' *Aillaud* cæciter credulus, hujus pulveris dosim copiosam, irritis meis monitis, administravit, ex qua, ad decem et octo vices, cum magnis cruciatibus, serva superpurgata est; iterumque nascebatur summa debilitas, et incidendi impotentia, quibus, analepticis et corroborantibus, necesse fuit opitulari. Convaluit tamen.

Errata duo fuerunt in hac medicatione; secunda venæ sectio plus æquo copiosa, et super-purgatio. Non emendavit tamen culpam parochus; nam, cum, novum insultum avertendi gratiâ, servæ sæpius in annum,

pulverem suam drasticam propinasset, ab insultu tandem, correpta est, in quo, nullo accersito auxilio, misera periit.

HISTORIA III.

Die 5^a. mensis Augusti, ann. 1806, horâ 8^a. matutinâ, piscator, 72 ann. natus, repletus, apoplecticus in navicula cadit, ex qua in domum, ut lignum affertur. Flaverat per noctem, violento impetu, ventum *Mistral* dictum. Ad ægrum vocatus, horâ 1^a. pomeridianâ, pulsum inveni plenum et tardum, respirationem sublimem, vultum ex rubro-violaceo coloratum, cum aliquo sensu et auditu, sed absque motu. Hæmorrhagiam cerebri integram declaravi, et quamquam nihil sperarem, ut potè nimis tardè, tamen venæ sectionem instituere jussi, vesicantiaque nuchæ et suris admovere. Aliquid exinde solatii videbatur, nimirum aliquas voces æger pronunciavit, amicos agnovit, et dextrum brachium potuit movere. Clysteribus alvus optimè cedebat. Potus et juscula deglutiebantur. Pulsus autem et respiratio eadem remanebant. Sub initio quartæ diei, pulsus factus est vehemens et intermittens, cum pectoris stertore, sudore frigido et locali, sopore, et omnium sensuum torpore, interiitque æger sub finem hujus diei.

Hoc anno, tres similes alios casus vidi, in hac Martigiorum urbe, quibus, intra 36 horarum spatium, ægri jugulati sunt, nullo adhibito auxilio; observavique fuisse post ventum frigidissimum, cui, miseri, incautè expositi fuerant. Plurimi, antea, alii in praxim occurserant, quibus cum inutilis medicina fuisset, inutile etiam judico de his amplius disserere.

CXLIII. Quoad causam occasionalem, frigus est contra-indicans repentinæ venæ sectionis, sed primum et maximum auxilium sit, indusiorum et stragu-

lorum calidorum ope , corpus sensim sensimque calefacere ; crura , femora , et plantæ pedum , diu lanis calidis perfricentur , usque dum nativum calorem et ruborem acquisiisse videantur ; intus , quid calidi et roborantis immittatur , ut , v. g. , jusculum cum quarta parte vini generosi ; calefacere autem et fricare non desistendum , quousque pulsus elevatior fiat , et in eodem rhythmò jugiter maneat ; nam solent pulsus elevari , sensus et motus ad tempus reviviscere , inde iterum obscurari , ubi nimis citò æger derelinquitur. Vide exemplum pauperis (LXVI). Ægro jam refocillato , si difficilis sit respiratio , adsintque signa plethoræ sanguinæ , sanguis educetur , ad uncias sex , octo , decem , pro re nata ; si citiùs verò , hæc operatio tentaretur , contracta vasa sanguinem negarent. Liberâ manente respiratione , à sanguine abstine. Poterunt etiam opponi , præcordiis , abdomini , tibiis , cucurbitulæ siccæ , foverique loca elevata , cum lanis decocto emolliente calido madidis. Clyster acris , post venæ sectionem , etiam administratur , aut absque illa , ubi calidus et refocillatus videtur homo. Si , ab ingesto jusculo cum vino , manat sudor , infuso florum sambuci , vel papaverum Rheados , cui addi potest pulvis *Doweri* , ad grana viginti quatuor , aut triginta , huic favendum.

CXLIV. Difficilis judicii sæpè esse apoplexiam à cacoehymica repletionè , lubens consentio , præsertim si de illa agatur , in qua sanguinæ plethoræ signis allucinari possumus. Hic ergo omnium anteaكتورum et præsentium , attentâ et sagaci investigatione opus fit. Omnes gradus , in hac , habere possumus mixtionis heterogeneorum humorum cum sanguine , unde varia medendi methodus.

In cacoethica autem hac plethora , non adeò frigidæ auræ , nudo capite , exponi debet æger (CXLI) ;

calor enim moderatus tonum solidis conciliat, dissolvit humores, illosque motui aptiores reddit.

Recognitâ dominante sanguineâ plenitudine, à venæ sectione sæpè incipienda erit curatio; sobriùs tamen quàm in antecedente. Attendat autem medicus nocere illam: si curæ et mœrores graves, et diuturnæ, si pravus victus, si ciborum inappetentia, si vigiliæ, si dolor, si immodica Venus, si ægritudines variæ, per aliquod tempus, apoplexiam præcesserint.

CXLV. Præmissâ, aut non præmissâ, pro necessitate, venæ sectione, immissoque clystere paululùm acriori quàm in prima specie (sennæ, v. g., unciâ unâ, decocto salito et carminativo adjunctâ), ad emesim, vel ad purgationem, citò confugiendum est; ad emesim, si antecesserunt, adhucque prostant saburræ indicia, secundùm regulas, (CXXXV) ponderatas. Medicamentum purgans paululùm fortius quæque debet esse quàm in plethora sanguinea, huic (CXLII) folliculas, ad unciam semissem, addendo. Eodem tempore, vesicantia apponuntur, dummodo tamen nullus sit nimius calor, sanguinem superantem annuntians. Applicentur quoque præcordiis, abdomini, femoribus cucurbitulæ siccæ, non cum accensa cerea candela, sed stupeo igne, ut major sit attractio, atque excitatio; elevata loca possunt inde sinapismo tegi. Non probo ad scapulas et dorsum ventosas applicare, eò quòd inde magis anxia reddatur respiratio, ægerque, motu, periculosè molestetur; si enim sit in cavo alterutrius hemisphærii effusio, motu potest ubique diffundi. Peractâ sufficienti alvi evacuatione, potu subcalido, emollienti, et leviter aromatico, æger humectatur, jusculisque carnis, oleraceis, sustentatur; clyster singulis diebus bis immittitur, si alvus lubrica non maneat. Interea, plagarum à vesicantibus suppurationi favemus, novasque addimus, si à primis sublevatus æger videatur. Lautiorem diætam sensim, sen-

simque permittimus ; si enim similibus ægris nimia repletio nocet , magis insuper nocet subita depletio , et diuturnior inanitio.

CXLVI. Pituitosæ , albuminosæ , vel serosæ plenitudinis conspicua plerumque sunt signa (CXXII). In apoplecticis cum hoc corporis habitu , calor moderati externa , internaque applicatio , primum et magnum subsidium præstat ægrotantis , itaque (capite tecto , et corpore calidis stragulis munito) plantis pedum , suris , femoribus , latera calida , vel sacculi cinerum calidarum pleni , statim apponantur. Aquis odoriferis , spirituosis , volatilibus , facies vaporetur , illarumque guttæ aliquot , ore immitantur. Interea , injiciatur acre clyisma , ex sequentibus : recip. fol. et flor. chamæmel. manip. unum ; colocintidis , unciam semissem ; bulliant in aqua ad colaturam , unc. octo , cui adde vini emetici uncias quatuor ; pro clysmate , quod repetatur pro re nata. Evacuato intestino recto , potio purgans numeri præcedentis administratur , cui , pro cognita ægri , et morbi habitudine , addi potest pulvis jalapp. ad grana triginta , cum tincturæ cinnamomi dragma una. Perutile aliquoties etiam potest esse vomitum cieendi , ante purgationem ; vel si alvina evacuatio eodem tempore desideratur , sequens præscribitur : Recip. tartar. stib. cum vitro antimon. parati , grana tres-quatuor ; mann. uncias tres ; solvantur in infusi melissæ uncias quatuor. Eodem tempore , vesicantia suris et collo apponuntur , quorum suppurantes plagas diutiùs fovemus.

Post alvi evacuationem , corroborare ægrum necesse est. Ulteriùs pro medicamentis mihi sunt quatuor cyathi in die , decocti calidi ligni guaiaci , vel radicis serpentariæ Virginianæ , vel florum arnicæ , conditi cum saccharo , et alcoole nitrico. Si his repugnent ægri , horum loco , indicus theus , vel cafetum , sæpè eundem scopum attingunt. Julepus gratus , cum ker-

mete minerali, aliquando utilis est, ad exscreationem procurandam, sudoremque fovendum. Pro potu, aqua calida, cum vino generoso. Pro cibo, juscula carniū, optima, cum ovi vitello, et inassatæ carnes, cum pane biscocto, simul ac edere possunt; non neglectis, inter hæc, naturalibus egestionibus.

Exempla mixtæ plenitudinis :

HISTORIA I.

Mense Maio, anni 1805, dum curam haberem juvenis optimæ spei, nautici, teterrimâ dysenteriâ hepaticâ, Americanâ, conflictati, pater ejus, vir sexagenarius, sobrius, musculosi et phlegmatici temperamenti, ob carissimi filii morbum, aliasque res adversas, afflictus, in apoplexiam mediocrem incidit, quam cacochymicam mixtam judicavi, propter valentes vires, vultum ex rubore pallentem, somnolentiam cui propensus fuerat, fumi tabaci abusum, et animi tristitiam. Cùmque micaret fortiter pulsus, atqui è naso sanguinis guttæ aliquot exstillassent, ex brachio primum, ideò, inde ex pede, uncias ad summum duodecim sanguinis extrahere jussi, pro duabus venæ sectionibus, enemaque purgans injicere. Recuperantur sensus et motus, sed cum brachii dextri paralyti, lingua impedita, ferè abolitâ anteactorum memoriâ, facili contristatione, et lacrymatione. 2^{dâ}. die, alvo non solutâ et apparentibus signis saburræ, potio purgans, ex manna et salibus mediis; largum vesicans ad vertebrae colli. 3^â. die, levis motus in brachio paralytico, et singulis aliis diebus, nova verba, distinctiùs faciliùsque, lingua pronuntiare potest; id autem evidentiùs fiebat cùm ab ulcere ex vesicanti, purulenta, crassa, materia abundantius manaret, non verò, cum sisteret suppuratio; unde, ter, in quindecim diebus, exutorii renovationem præscribere debuerim. His sim-

plicibus , potu oximellito , et diætâ potius siccâ quàm humidâ , trigesimâ à morbi die , potuit æger ambulare , absque adminiculo , domesticisque et campestribus rebus præire , integrè sanus , si excipias levem in apice digitorum insensibilitatem , et quandam in paucis literis , linguæ difficultatem. His etiam incommodis liberari verisimiliter potuisset , si fonticulum et diætam convenientem , diutiùs admisisset. Monebam , quoties in hunc , per rura , incidebam , sed frustra. Tandem , anno nuper elapso , accepi , novâ , et lethali apoplexiâ , illum conflictatum fuisse , nullo implorato auxilio.

HISTORIA II.

Die 2^{da}. Decembris , anni 1807 , flante rigidissimo vento *Mistral* , Massiliensis nauta , 73 ann. natus , apoplecticus cecidit in ipsa navi , horâ 6^a. matutinâ , post jentaculum , et fertur in Martigiorum nosocomium. Absens tunc eram , ægrumque non inveni , nisi horâ vespertinâ. Interea , chirurgus , medici vices gerens , sanguinem ad libram extrahit ; post , clysterem ex vino antimoniato inficit , emeticum administrat , vesicantiaque suris et nuchæ colli apponit. Sero , ægrum accedens , hominem video , tumidum , pallidum , spumantem , stertentem , pulsum rarum habentem , et absque sensu et motu. Mihi narrabant assistentes , aliquo sensu hunc donatum fuisse , cùm nosocomium intravit , et à venæ sectione derepentè in pejus ruisse , difficulterque spirasse ; vomere non potuisse , nihilque aliud præter urinam ejecisse. Cacochymicam apoplexiam judicavi , dubitavi que an non glottidem penetrassent liquida , quibus , ad vomitum ciendum , ingurgitatus fuerat , unde spuma quæ jugiter ex ore fluebat. De viribus corroborandis cogitavi ; quapropter , jusculum carneum , vinosum , calidum , cochleatim , et cautè , deglutiendum curavi , et decoc-

tum præscripsi, ex serpentaria Virginiana, et floribus arnicæ, cum saccharo conditum, cochleatim hauriendum et per anum injiciendum. Die 2^{dâ}. ad mane, pulsus elevatior, frequentior; me audit exclamantem æger; et submissâ voce respondit; linguam obliquè exerit, paralysis enim erat in toto corporis latere dextro, sacrisque religiosis officiis, sanâ mente vacare potest; at, semper respiratio stertorosa, osque spumosum. 3^â. die, ut primâ se habet. Dubito tamen an in præscriptis pergerint ministrantes, quorum indolentiam agnosco. Me præsentem, decoctum et jusculum, ad lectum ægri afferre jubeo, novaque vesicantia applicanda curo. 4^â. die, ut secundâ, æger se habet, usque ad horam 3^{am}. post meridiem, quâ, omnia exacerbantur, insurgitque sopor profundissimus, in quo æger, omni momento, manu sanâ, stragula removebat, ubique insensibilis, si excipias nasum, tempora, superciliaque, quorum muscoli movebantur dum has partes tangerem, quod idem expertus sum paucis ante mortem horis. 5^â. die; ad mane, idem ut pridie; sub vespere, mitescunt symptomata, redit sensus, ut noctem quietam æger haberet, dormiret, potum sumeret, meiendique necessitatem sentiret. 6^â. die, ad mane, sudore disfluebat, unde aliquam spem daturus esset, nisi perstans spuma, difficilisque respiratio, aliam sortem suasissent. Obiit tandem, 7^â. die, 9^â. Decembris, horâ 2^{dâ}. pomeridianâ, post sic alternantes remissiones et exacerbationes; mox horis matutinis, mox vespertinis; — intempestiva et nimis copiosa sanguinis eductio; intempestivus vomitus.

HISTORIA III.

Cachectica , recurrens , apoplexia.

Paupercula , ann. 42 , nata , cacoethes , habens capillos ruvidos et albos , nosocomium Martigiorum adivit. Initio Novembris , 1806 , de virium debilitate , anorexia , et febribus erraticis conquesta. Cùm ærumniarum , cibi penuria videretur causa , bonum nutrimentum , tantùm præscripsi : sed paucos post dies , cùm jam refocillata appareret , semi-apoplectica cecidit , cum lateris dextri paralyti et mentis perturbatione. Emeticus , quo multa saburra sursum et deorsum evacuata fuit , illam in pristinum statum restituit. Posterâ die , novus insultus apoplecticus ; cui solutio fuerunt , rerum et personarum magis pernotarum absoluta oblivio , atque delirium ferox , in quo aquæ perpetuus timor erat. Pulsus , demissus , obscurus , irregularis , ut moribundus. Iterum potionem præscripsi ex quatuor granis tartari stibiati , solutis in unciis octo infusi mentæ , additâ unciâ unâ sirupî mentæ , cochleatim sumendam ; ex quâ , viscosa puita , abundè per vomitum , ejecta est. Quartâ die , à primo insultu , floccos carpebat , et ob vehementius delirium , vinculis ad lectum devinciebatur. Perennis vigilia. Potio ex infuso mentæ , cum sirupo ejusdem , laudani liquidi , et liquoris anodini mineralis , ana guttis triginta , cochleatim sumpta ; vesicantia brachiis. Nox quietior , 5^a. et 6^a. die , eadem potio. Pro potu , aqua vinosa ; pro cibo , jusculum cum farinaceis , parvâ quantitate , singulo bihorio , propinatum. 7^a. die , me et ministrantes agnoscebat , sed delirium in fatuitatem transierat , et nec palpebras aperire , nec caput ex pulvinari erigere poterat. Multùm obdormivit eâdem die , et diebus sequentibus. Usu cibi nutrientis et vini , fatuitas

tas paulatim discussa fuit , vires ægra acquisivit ; et post 45 dies , nosocomio sana et vegeta vale dixit. Narravit autem mihi , se quinque ab hinc annis , hoc morbo afflictam fuisse , sed leviter magis. Videtur , hic , apoplexiam phrenitidem excipisse. In sequenti Historia , veternum apoplexiam excipiet.

HISTORIA IV.

Die 15^a. Martii , anni 1808 , flante austro , vocatus sum ad pagum dictum *S. Mitri* , invisurus honestum civem hujus loci , 63 ann. circiter natum , quem anno præcedenti , à lethargico affectu , corroborantibus liberaveram , quique squirrosam amygdalam à multis annis habebat , cujus extractionem pati noluerat , quanquam perdifficilis deglutitio inde nasceretur. Hic , tabaco et vino multum indulgebat , et imprimis fumo tabaci , qui necessarius adeò factus erat , ut illo hauriendo , etiam partem noctis consumeret ; unde tumidum , pallidum , et somnolentum habitum acquisiverat. Apud illum adventus , didici , frigidâ aurâ in dorso correptum fuisse , pridie , mensis die 14^a , cum deambulasset , unde domo redux , lecto se commiserat ; per noctem dormiisse , et summo mane , jusculum , invito animo , hausisse ; nurui quædam allocutum esse , siluisse inde , nec vocatus respondisse. Hominem inveni cum facie pallida , tumida , flaccida , depressa. Artus elevati , illico concidebant ut cadaveris. Pulsus humilis , lentus , obscurus ; respiratio sublimis ; os facilè aperiebatur , unde observari poterat lingua , ut vultus , pallescens , immobilis. Paralytim , seu mortem universam jam dixisses ; et tamen , dum hæc cogitabam , mirabar quòd derepentè , cum sputum difficilem æger exscreare vellet , truncum et caput evexerit , quæ brevè mox conciderunt ; et quoque , quòd cum illum cui admodum notus eram , concla-

marem, p[er] alpe[ra]s aperiret, leviterque labia moveret, ut si respo[n]der[e] vellet. Dolui quod tardè nimis apud ægrum advenissem, erat enim jam tertia hora post meridiem. Forsa[n] emeticus primâ mane adhibitus, utilis fuisset. Tur[c]c[us] verò deglutire, aut non valebat, aut non volebat. Quare cogitavi de clystere acri, et de exutoriis. Clyster ex decocto tabaci, et sale culinari, quæ in manu erant, injectus est, sed non permansit, recto scilicet jam paralytico. Sinapismi acriora, et vesicantia, variis in locis apposita sunt; corpus ferè frigidum, excalefieri curavi, et profecturus, chirurgus loci commendavi, ut simulac æger parùm surrexerit, nocte vel die, emeticum propinaret. At data non fuit occasio, præceps enim fuit interitus, post horas 48, ab inchoato morbo. Per omnia vacua, post mortem, erupit sanguis niger et solutus; effectus scilicet, non infrequens, nicotianæ usûs immoderati.

HISTORIA V.

Apoplexia; à viscosa pituita, recurrens.

Die 26^a. Aprilis, ann. 1806, horâ 2^{da}. pomeridianâ, vidua, lania, 65 ann. nata, pallida, temperamenti phlegmatici, vitam sobriam degens, sed parum exercitatum, incidit in insuitum apoplecticum, è quo tamen derepentè surrexit, cum torpore omnium sensuum, impeditisque deglutitione, voce, loquelâ, et artuum motu. Ad illam statim vocatus, illico clysterem ex decocto foliorum sennæ, et sale cathartico injicere jussi, laneisque calidis pannis, per totum corpus, horæ spatio, frictiones adhibere. Tam feliciter successerunt hæc simplicia, ut sub vespere, ægra deglutire tandem posset. 2^{da}. morbi die, pulsus qui fuerat profundus et concentratus, erectior et frequen-

tior tangebatur, febrisque nascebatur, cum levi sudore æqualiter diffuso, quibus favere judicavi decocto arnicæ, et serpentariæ virginianæ, atque vesicantis nuchæ colli appositione. Vespere, iterum clyisma, quod alvinarum materiarum magna eductio, sequebatur. 3^a. die, purgatio, cum jalappa et scammonia, in infuso cafeti, et magno cum fructu. Pergebatur nihilominus in frictionibus siccis, et in decoctis prius dictis; febris quoque persistebat. 4^a. die, recuperantur vox et loquela, exceptis quibusdam verbis; primusque usus quem fecit ægra rudex, et morosa, tanti beneficii, fuit declarandi se ab omni alia medicina abstinere velle; et reipsa, omnia medicamenta et vesicans respuit. 5^a. die, novus levis insultus apparuit, qui brevè cessit, absque malignioribus reliquiis. *Ægra* medicamenta intus data semper respuente, torporeque sensuum atque linguæ non perfectè evanido, frictiones calidas aromaticas, frequentius repetere jussi, et loco pharmaceuticorum decoctorum, potum cafeti cum saccharo, huic mulieri summoperè gratum, quater in die, dare suasi, clysmataque singulis diebus apponere. Juvabat hæc methodus, ægroque jusculis succulentis nutrita, novas vires recuperare videbatur. 9^a. die, en, tertius novus insultus, levior tamen præcedentibus, et ab hoc, alternis diebus, ægra magis soporosa, et minus loquens erat. Cogitabam de cortice peruviano, sed adversus corticem exclamarunt ægra et parentes. Curiosus tamen eram, irritâ insciitiâ, morbum terminandi, et feci insciis omnibus, ut, in primo cafeti potu, fortis corticis sirupi, unciam unam, cum extracti scrupulo uno, sumeret ægra, quæ tantùm de nimio amaro cafeto querebatur. Corticem ergo sumpsit per octo dies, et neque insultus, neque torpor periodicus redierunt. 21^a. die à morbo, convaleuit, remanente tantùm quorundam verborum difficili pronunciatione, quæ etiam sanata

fuit, postquam pastillis sialagogis, quæ multam salivam eliciebant, per aliquot dies, usa fuisset. Hodie (Aprilis 1808), optimè etiam valet hæc femina, in negotio honesta.

HISTORIA VI.

Vidua sexagenaria, pallida, temperamenti phlegmatici, cachectici, frigidi, ingenii admodum circumscripti, ut sunt in hoc temperamento (vide nostr. *Physiolog.* ad n^{um}. 1037), in tabernacula obscura, humida, et frigida, totâ die absque motu degens, tibiale ulcus per plures annos habuerat, quod, irritis multorum monitis, suppressere imprudenter sinierat. Die 8^a. Januarii, ann. 1808, horâ meridiana, dum ad prandendum primùm jurulenti panis cochlearium sumeret, incidit, ex latere sinistro super sororem, absque sensu, in terramque fatiscit, nec surgere valet. Accersitus, ægram reperio in lectum quo delata fuerat, vomentem pituitam crassam, glutinosam, in quo, aquâ tepidâ adjuvabatur: caput autem erectum tenere non poterat, ob deficientem animum, neque illud ad dexterâs movere; in loquela, vix intelligebatur; tamen nulla erat paralysis. Pulsus flaccidus et rarus, respiratio naturalis. De venæ sectione, omnis turba quæ cubile implebat, vociferabat. Renui: clysterem acrem immittere jussi, à quo multa evacuebantur; inde potum cafeti cum saccharo et aqua naphæ ingerere curavi, dum interdum pararentur vesicantia, quæ applicare præscripseram. Pro potu, infusum melissæ; et reliqua faciendâ, ad vesperam mandavi. At horâ sextâ vespertinâ, sensum et loquelam, ita omnino ægra recuperaverat, ut se vivere, vel mori velle absque medicamentis declaraverit; vesicantia, idcirco, et purgantem potionem quam pro die sequenti decreveram, respuit, dixitque se præter potum cafeti,

à quo bene habuerat , nullam aliã rem unquam sumpturam , medicamenti nomine. Ab illa curanda ergo destiti , annuentibus parentibus , ob cognitum ægrotantis obstinatum animum. Nihilominus tamen , attentè per quindecim dies , illam observavi , mox mane , mox vespere , mox sub meridiem. Sequens autem erat ejus status , et adhuc est hodiernâ die , 10^a. Aprilis : lecto cubat , acervata , in latus sinistrum , eodem quo casum fecit , capite infra pulvinum ; altiori schemate enim , jacere nequit , nec paulisper in dextrum latus se moverè , ob periculum præcipitis animi defectus : videt , audit , quanquam dormiens visa , quæsitis respondet , mox sanâ mente , mox delirante ; at nunquam , olim avara , nunc de re aliqua percunctatur ; cibos cupit , avidèque devorat ferè bulimio correpta ; nunquam tamen sitit , neque excrementa , præter paucam urinam , intra quindecim dies , unâ vice ejicit. Pulsus , mox est rarus , irregularis , vacuus , intermittens ; mox est elevatior , regulatior , frequentior ; mane , respiratio est naturalis , sub vespere stertit ; oppositum quandoque est ; fit autem respiratio naturalis , quoties ægra excitatur ; indici ab oppresso cerebro , vitiari respirationem.

Ad coma vigil facilè hunc morbum referas ; non tamen est simplex coma. Judicavi , in cerebri ventriculum lateralem sinistrum effusum fuisse serum aquosum , quod , in tertium ventriculum descendens , ubi truncus et caput eriguntur , vel ventriculi dextri parietem comprimens , ubi in hoc latus ægra vertitur , lipothymix locum præbet. Eodem mense Januario , sepulta fuerat alia mulier , hujusdem constitutionis , quæ cum eodem morbo afflicta fuisset , permansit eodem statu quàm nostra vidua , per quatuor menses , neglectis quoque omnibus artis auxiliis , et tandem omnino apoplectica obiit , diffuso verisimiliter sero , in omnibus cerebri receptaculis.

Vesicantibus, setaceis, purgantibus tonicis, siccâ, analepticâque diætâ, has restitui potuisse, vix dubitare possum!

HISTORIA VII.

Apoplexia ab ischuria.

Dissecueram olim militem, apoplecticum, ab ischuria immedicabili, mortuum, et omnia corporis cava, cerebrum, et alia viscera, sero urinoso diffusa, urinosumque odorem habentia, inveneram. Hujus ergo historiam, tunc temporis conscriptam, hîc inserere statueram, nisi mihi recens casus occurreret quem nunc publicum reddere malo, ut videantur difficultates et fastidia artis, in Gallia inprimis, ob phlebotomistarum (*Officiers de santé*) heu! nimis tolerantiam, superbiam, atque ignorantiam.

Sutor sexagenarius, in uno ex Martigiorum templis, chori modulator, dolorosissima ischuria per noctem diei 19, ad 20^{am}. Martii, hujus anni, 1808, affligitur, unde meum imploratur auxilium. Apud illum statim accedens, hominem video, propter dolorem, per cubile, ambulans, cum facie pallida, tumida, pulsu vacuo, lento, vesicaque urinaria admodum distenta. Missâ uxore ad alium locum, ut facilius patientem interrogare possem, narravit se pridie, pedibus et plaustro, iter fecisse, et in meiendo, ut aliàs, quandam difficultatem expertum fuisse; gonorrhœam nunquam laborasse, sed pravam se semper masturbationis consuetudinem, bis et etiam ter in die, recenterque etiam, habuisse: quod miratus sum in homine hujus ætatis, et maritato. Omnibus perpensis, cogitavi illico de congestione in plexu venoso colli vesicæ, et forsan de jam in visceris cavo, effuso sanguine; in sutoribus, enim ob operis conditionem,

hæc non rara sunt; illisque favebant hoc in homine, prava quam dixi consuetudo, atque iter quod fecerat. Aliunde, calculus suspicari quoque poterat, communis his in regionibus. Ad diurnum examen cogitata remittens, anodinam potionem tunc tantum præscripsi, ut somno saltem dolor sedaretur, quod equidem successit. Sequenti die, omnia, ut per noctem erant, neque etiam alvum, miser ejicere poterat, nec clysterem accipere, cum abnormis tumida vesica, rectum, ut abdominis musculos, æquo modo comprimeret. Expertiorem urbis chirurgum, seu phlebotomistam, mandavi, ut in iter urinæ fistulam immitteret, quod non facilè experti sumus. Ad collum tantum vesicæ usque, penetravit catheter, ibique incidit in corpus molle, spongiosum, quod tactu, sanguinem concretum, extravasum judicavi, quodque extracto instrumento, filatim paulisper processit. De natura morbi, de noxia emollientium, de futura punctiōnis necessitate, cum chirurgo colloquebar; at ille, gravitatis morbi inscius, et chirurgicæ operationis, ut mihi confessus est, ignarus, timensque ne alium chirurgum advocarem, balneo olei, aliisque emollientibus, ægro et parentibus, ut uterentur, clam suasit. Me invito, itaque hæc adhibebantur, sed omnia in pejus. Die secundâ, somnolentus jam fiebat æger; tamen mea contemnebantur consilia, et in emollientibus pergebant: apoplecticam mortem parentibus nuntiari, illosque, et ægrum, de punctiōnis necessitate adhuc monui, at vicerunt, ut solet apud vulgus, ignorantix et adulationis pollicitationes; 4^a. die, fiebat jam stertorosa respiratio, ruborque et tumor vultûs, absorptam urinam nuntiabant; coma, mox somnolentum, mox vigil; pulsus concentratus, convulsus, irregularis; privatio perfecta sensûs et motûs, 8^a. die; et tandem mors, initio nonæ diei, nullâ unquam per uretram ejectâ urinâ, præter stillicidium quod

emollientium beneficio ineptè tribuebant. Illa autem est empirices prærogativa , ut nunquam , quanquam occiderit , homicida videatur ; cùm enim conclamatus esset hic æger , qui salvari potuisset , meumque confirmatum viderent iudicium , fistulæ introductionem (quæ unica et prudens fuerat , cujusque repetitam immissionem obtinere non potueram) morte accusarunt.

HISTORIA VIII.

Sexagenarius operarius , temperamenti phlegmatici-musculosi , sanus lectum petit die 14^a. Februarii , 1808 , et cùm vellet die sequenti , quæ erat Dominica , subuculam mutare , miratur se motu destitui. Vocatus chirurgus sanguinem detrahit , miserum ægro-tantem inde fato linquens. Cùm autem die 20^{ma}. Martii , ad hunc pagum (*S. Mitri*) accersitus essem , apud illum ægrum quoque adivi , quem hemiplecticum in omni latere sinistro conspexi , absque motu et sensu in hac medietate , cum loquelæ difficultate , et involuntaria retentorum in lecto egestionem. Magna omnium inopia , medicamentorum apparatus non permittebat , vixque hujus paralytici aliqua spes salutis supererat. Animum tamen illius erigere tentavi ; cùmque jam per mensem inediam sustinisset , debilisque ad summum esset , cùmque etiam aliunde depravatorum succorum in ventriculo signa essent , victum lautio-rem præscripsi , ex carnibus et vino ; sulfati magnesiæ unciam unam , singulis octo diebus ; largum epispasticum ad vertebrae dorsales ; utque , singulis diebus , cataplasmate ex herbis aromaticis in vino decoctis , spina , usque ad sacrum , post frictionem , obduceretur , commendavi. — Die 26^a. Aprilis , iterum ægrum invisi , et non sine admiratione , illum liberè loquentem , è scalisque deterrimis facilè descen-

dentem, inspexi. Narravit mihi se in usum præscriptorum (excepto vesicatorio) assiduò persecutum esse. Omnia membra libera erant, præter brachium quod tamen dolere, et aliquantisper movere se inceperat. Faustum omen itaque nuntiavi. — Die 16^a. Maii, ad hunc locum iterum accersitus, per vias ab illo quondam paralytico salutatus fui, cui in brachio infirmo, nil nisi aliqua motûs difficultas in articulo cum scapula amplius remanebat; quam evanidam fore quoque spem habeo.

HISTORIA IX.

Apoplexia à lactatûs cessatione, et à lumbricis.

Rustica, ann. 34 nata, quæ per duos annos ubera infanti præbuerat, à duobus mensibus, ob lactatûs cessationem, variis vexabatur ægritudinibus, quibus, iteratâ venæ sectione, medebatur phlebotomista ignarus (*Officier de santé* dictus), et quotidie magis magisque improspere. Die 20^{ma}. Junii, hujus anni, 1808, cum civitatem *Martigiorum* adisset hæc mulier, acidula poma vendendi causâ, seseque etiam illis ingurgitasset (more hujus loci incolarum, qui, ob diathesim scorbuticam, immaturos fructus, limoniaque, naturæ ductu avidè comedunt), rus remigrans, horâ 9^a. matutinâ, humi prosternitur, aphona et absque sensu et motu. Fertur in vicinam domum, ubi, præter poma, lumbricos duos vomiturit; adjuvaturque vomitus tepidæ potu. Recreata tantisper videtur ægra, et accersitur phlebotomista qui, nullâ habitâ ratione cruditatum et lumbricorum, sanguinem extrahit ad libram unam. Cum in pejus ægra rueret, extrahitur iterum sanguis, per noctem. 2^{da}. die, ex sacerdotis suasu, emeticum administratur, quo iterum tredecim lumbrici per vomitum rejiciuntur. Non re-

deunt tamen motus et sensus; deglutitio et respiratio fiunt difficiles. Tertiâ die, adponuntur vesicantia cruribus et nuchæ colli. Sorbere jubet phlebotomista mixturam ex *lilio Paracelsi*, et aqua spirituosa cum ammoniaco liquido; sub noctemque, discrepante consilio, octo hirudines collo admovet. Desperatis omnibus, tandem ex consilio hujusdem sacerdotis me advocant. Ægram comperio hemiplecticam in latere dextro, cum vultu subrubro, pulsu tardissimo et parvo, stertente, et angusto halitu, dentibus compressis, deglutitione impeditâ. Fluebat undique sanguis ex vulneribus à sanguisugis inflictis. Frequenter ægra cæterùm insensibilis, manum sinistram, liberam, collo adducebât. Perpensis omnibus, et monitis parentibus de conclamato morbo, alvum quæ sicca erat, movere jussi clystere ex aqua marina, cum vino emetico; præscripsique etiam cucurbitulas siccas, cum multa flamma, ad umbilicum, et continuò ad femora, admovendas; prohibui ne quid per os haurire facerent, cum glottidem, non pharyngem ingesta ingrederentur. Multas fæces cum lumbricis clyster extraxit; motumque et sensum suscitasse parumper, cucurbitulæ videbantur. Die 4^a. sub mane, os aperiebatur, linguamque paululum exerere ægra valebat, unde offerebatur facultas potionis anthelminthicæ, aromaticæ, et catharticæ, cochleatim absumendæ: at tenue et breve lumen! mox exasperantur omnia, et viam deglutitionis deserere debemus. Quapropter suæ sorti ægram relinquere statui, per anumque jacula et medicamina, per os prohibita, injicere. Sub initium quintæ diei, pulsus frequentior evasit, sed respiratio difficilior; sudor copiosus, frigidus; horâ octavâ matutinâ, fluxit per os atque nares, mucidus humor, lacteus; frequentes per hanc diem exacerbationes, pulsusque mox formicans, mox elatus; horâ nonâ vespertinâ oculi vitrei; inclamata tamen ægra, et de-

missâ cedente maxillâ , linguam movere tentavit : horâ decimâ , obiit. Lethalem judicavi venæ sectionem ; cum emeticis , catharticis , corroborantibusque , tempestivè adhibitis , vel etiam unæ naturæ commissa , mulier hæc verisimiliter felicior sortem habuisset. Post mortem defluxit per alvum humor lactiformis.

Cui potissimum causæ tribuenda apoplexia ? An nimis porrecto lactatui quo effetus factus erat sanguis , qui reipsa serosus extractus est ? an lactis metastasi , cujus vacua omnino erant ubera ? an cruditatibus et lumbricis ? Contulisse hæc omnia arbitror , eoque magis quòd repetitæ venæ sectiones ante , et durante insultu , vires absumerant. Quoad lumbricos , apoplexiam procurare posse tetros hos hospites , ab omni antiquitate notum est. *Cælius Aurelianus* jam sequentia de his tradiderat : « quibusdam etiam repentinus casus occurrit (ex lumbricis scilicet) , ut » oppressi obmutescant , nunquam similiter adfecti. » Item aliquando contractu membrorum rapiuntur. » Quidam per intervalla conticescunt , et in febribus » somnolentiâ lethargorum simili premuntur : item , » etc. » Inferiùs , discernendi causâ varios morbos , inter quos apoplexiam , ab effectibus lumbricorum , spumam indicat , dicens « qui certè *ex lumbricis* » patiuntur , nunquam *spumas* excludunt : » quod quidem inaccuratum est , cum viderim comatosos pueros *ex lumbricis* , spumas excludentes , et apoplecticos , absque spuma. Vid. *Cælium Aurelianus* ; *morb. chronic. l. IV , cap. VIII.*

CXLVII. Nuntiari probabile est vasorum cerebri localem plenitudinem , à pleniori vultu (XXII) , facili insuetâ lacrymatione , encephalicarumque functionum redivivâ exaltatione ; incertum autem habeo , an possit absque nova vi admota , ex hac nasci apoplexia , cum lentæ simili compressioni , jam sit cere-

brum assuefactum; eadem est conditio congenitæ ad apoplexiam propensionis. Verùm, ut jam diximus, potest, copiosiori cibo, aut vini potu, animi pathemate, frigore, vel calore, sanguis velociùs ad caput appulsus, ad supremum vasa distendere, hæmorrhagiamque etiam producere ob infirma vasa. Pertinere autem potest similis apoplexiæ curatio, vel ad aliquem ex numeris præcedentibus, perpensis interea numer. (CXVII et CXXVIII) monitis; vel ad numeros sequentes, cùm talis cerebri ordinatio, spasmodicam propensionem, comitem ferè semper habeat.

CXLVIII. Apoplexiam curaturi, cujus plenitudo consueta in causam accusari minimè potest, inquirere nostrum officium est: an diuturno mœrore, quem occultabat, æger afflictus fuerit; an passionibus hypochondriacis, flatibus, calculis, podagræ, colicis, nerveis morbis, obnoxius sit; an ingratis animi contentionibus, vitam occupaverit; an libidinosus, vel sobrius et castus; an mox, magno animi pathemate correptus fuerit: de his, ut et de cæteris ægri moribus, moniti, contentioneque factâ ejus præsentis habitudinis cum aliorum, quos observavimus, apoplecticorum habitudine, ab impetum faciente seu à spasmis, productam apoplexiam suspicaberis; quàm citòque dijudicaturus eris, utilis-ne, vel non futura sit venæ sectio, et purgatio.

Forsan in præcordiorum elevatione, eruptionis sive fluxionis universæ signum pathognomonicum habetur. Etenim observari potest, in omni activa hæmorrhagia, et inprimis, in hæmoptysi, ubi à sensu frigoris præcessa est, præcordia in tumorem insolitum elevata. Hæc etiam observare licet in phrenitide et in febribus intermittentibus et remittentibus, in quibus pectus, vel caput feriuntur. Elevantur et indurescunt præcordia, durante exacerbatione; molliunturque et plana fiunt, factâ remissione. Locum autem hæc non

habent in hæmorrhagiis , à locali plenitudine , neque in febribus , cerebrum , vel pulmones non inficientibus. Videre est similia , in apoplexia , pro varietate causæ. Hoc signum , in hodierna medicina , nimis neglectum , priscarum curationum clavis fuisse videtur. Membrorum ligationibus , cucurbitulis in remotis partibus apposis , aliisque educentibus , ab *Hippocrate* , *Xenophonte* , *Diocle* , *Praxagora* , *Dionysio* , *Herophilo* , *Erasistrato* , ipsoque *Cælio Aureliano* , etc , celebratis , originem dedit. Attendatur autem , ne prius hepar aut lien , homo inflata habuerit , ne stomachicus fuerit , aut flatibus obnoxius : si illa non fuerint , illicoque ascensa cardiæ vicinia contrectentur , quæ , exacerbationis tempore , elevantur , immi-
nuanturque , remissionis tempore , antecessâ horripilatione ; ex nostra , et magistrum observatione , de fluentibus omnibus ad superiora , cogitare licitum erit.

In non plethoricis equidem frequentiorē existimamus hanc apoplexiæ speciem ; exclusoria tamen non est propositio ; accidere , v. g , potest homini plethorico , irâ accenso , apoplexiâ corripī ; hic autem , sine dubio , venæ sectione indigeret. Idem evenire quoque potest in pituitosa , vel serosa colluvie , ideòque necessariam fieri purgationem. At , notatum duntaxat opto , temperamenti sanguinei homines , hilares plerumque esse (vid. nostr. *Physiol.* n. 1034) , rebus adversis modicè tangi , faciliè iratos , faciliùsque injuriam esse obliviosos , unde in stateram citò , motus et humores reponuntur ; phlegmaticos , naturâ pigros (oper. cit. n. 1033 et 1037) , pathematibus parum affici ; promptiores autem ad omnia vehementia , spasmodicisque affectibus sæpiùs esse conflictatos , biliosos , melancholicosque homines (oper. citat. n. 1031 et 1035) , quibus minus conducunt venæ sectio et purgantia.

Necessariæ aliquoties venæ sectionis , in hac spas-

modica apoplexia , exemplum , subministrat casus sequens eleganter descriptus in *Diario medico* , jam laudato (*Gazette de santé* , 21 Juin , 1807 , n^o. XVIII) : — Mulier 33 ann. nata , brevis staturæ , valida , sanguinea , cum collo brevi , acriter sentiens , vitam sedentariam degens , durantibus nostris politicis commotionibus , variè molestata , unde plures mensium suppressiones , narium et pulmonis hæmorrhagiis ansam præbentes ; mulier hæc , inquam , post similem diuturnam amenorrhæam , subitanè apoplexiâ percutitur , quâ , amplis venæ sectionibus , sinapismis variisque revellentibus liberatur. Non prodit tamen fluxus periodicus , et ortis novis molestiis , novus quoque nascitur paucos post menses insultus apoplecticus. Sequentia observabantur : sensûs et motûs orbatio ; oculi , vultus , collum , pectusque , tumidi , intensè rubentes ; stertens respiratio ; ex ore copiosa sanguinis profusio ; pulsus parvus , concentratus ; frigus extremorum. — Extrahitur sanguis ex cubito , ad uncias decem , minuunturque symptomata dum fluit ; exasperantur , finitâ operatione : hirudines vulvæ et femoribus. Potio è succo limoniorum. Mitescunt paulisper symptomata , per triginta horas , posteaque recrudescunt. Novæ et multiplices apponuntur hirudines , per sexque horas , fluere , sanguis non desinit. Astaci crustam incoctam , vultûs pectorisque color simulabat ; sudantesque sanguine videbantur hæ partes , quo lintea colorabantur. Tandem hâc cruentâ perenni evacuatione , color , sensus et motus , respiratioque , ad pristinum statum sensim sensimque redibant , et debilissimæ ægræ alvus medicamento elicitur.

Ad quartam diem , jam se recolligens ægra , novo mœrore afficitur , et novum quoque , sed veteri , insultum patitur. — Sinapismi femoribus , dein pedibus ; ventilatio ; frictiones siccæ , etc. Remittit morbus , post sex horas , at crudeliter dolent , per tres dies ,

loca sinapisata , et cessante dolore resurgit lethargus , cum ferè abolito pulsu , respiratione brevi et imbecilli , vultu pallido , et tamen ordinato , labiis aliquoties convulsis , corpore leniter calido , pedibusque frigidis. Opponuntur tantùm ventilatio jugis , quæ juvare videbatur , frigoriq̃ pedum amphoræ siliceæ calida plenæ. Pergit hic status per 68 horas , inde surrexit ægra , tanquam è longo somno expergefacta. Paulò post , nascitur colicus dolor triduo perstans , cui succedit eruptio viscosi , albidi humoris , indè mensium , qui periodicè per annum , ordinati ab hoc fuere.

Supprimuntur iterum menses , per sex circiter hebdomadas , et toleratis inusitatis laboribus et vigiliis , en novus insultus apoplecticus et hæmoptoicus. Apponuntur statim hirudines , quæ periculum minuunt ; sed pergentibus hæmoptosis , aliisque gravibus symptomatibus superiùs descriptis , præscripto pediluvio , saphena scinditur , et fluit sanguis per novem horæ minutas. Apponuntur quoque nihilominus per vices hirudines vulvæ , ut jugiter diffunderet cruor , usque dum omnimodò ægra in tuto esset. Quòd non successit nisi post 72^{am}. horam , ab inchoato insultu. Tunc , juscule recreata fuit , obdormivit , et benè in posterum se habuit.

Vix aliud proferre poterimus egregiè adeò cruorosæ habitudinis exemplum ! an tamen anti-spasmodicorum usu , cruentatæ ita medicinæ paulisper parcendi modus non fuisset ?

CXLIX. Factâ itaque , vel non , venæ sectione , pro re nata (rarò autem necessaria est , et conducit) , ad revellentia statim est confugiendum. Frigidæ ergo auræ caput exponitur , dum moderati caloris ope , truncum et artus inferiores versus , humores attrahendi sunt. Semi-balnea tepida , simplicia , vel sinapisata , quoties arthritidis , vel podagræ suspicio exstat , optimè conveniunt : eorum loco , soventur assiduè , pe-

des, tibiæ, femora, abdominis infimæ partes; adhibentur frictiones, vesicantia, ventosæ siccæ, sinapismi, locis à capite remotis; gratis odoribus, volatilibusque essentiis, ut *balsamo vitæ Hoffmanni*, illiniuntur tempora, oculi, nares, os internum, spina vertebralis; intus quoque administratur potio anti-spasmodica, ex infuso folior. melissæ, mentæ, pulegii, abrotani, etc., cum aqua naphæ, sirupo aromatico, et liquore anodino minerale, sub hac formula, v. g. : infusi melissæ, uncias tres; aqu. naph. unciam unam; sirupi mentæ, unciam unam; liquor. anod. miner. gutt. viginti; pro uno haustu, qui, pro re nata, repetitur. Clyisma injicitur, et post alvi evacuationem, similis potio anti-spasmodica, cum castorei pulverisati, dragma semissa, ad dragmam unam, per anum quoque introducitur, et gossypio obturamento impeditur, ne nimis citò intestinum deserat. Nutritur æger cum jusculis quibus additur aqua naphæ, vel paulisper nucis moschatæ. Sudori favetur potu diluente, calido, grato, leviterque aromatico. Continenter autem, per viginti quatuor horas, nisi leniens somnus apparuerit, in hac revellentium, excitantium, temperantium, applicatione, insistendum; cum mehercle, omnibus expensis, in illa duntaxat tutari posse homo videatur, in apoplexia spasmodica, si spes adhuc manet, vanaque sint etiam alia, si jam lethalis facta sit humorum effusio.

CLI. At, primùm, inter anti-spasmodica dicta, præciara illa, inter viventium vires, æquilibrium restituenti, virtute donatum, *opium* est. Exclamant evacuantis scholæ familiares, me, in sensuum oppressione, soporiferum remedium, injusto jure proponere: et equidem, ego ipse, huic scholæ nimis diu addictus, nisi, per repetitas clades, de ejus emortua virtute monitus sum, et serò nimis de anti-spasmodicis cogitavi, opus, si Dii favent, persecuturus. Neque sum etiam,
cum

cùm in omnia nova didicerim diffidenter agere, qui, leviter, in suspectum adeò medicamentum, incidam, nisi, quibusdam factis, in conjiciendam commendandamque, in apoplexia spasmodica seu nervica, opii utilitatem, nixus jam jam fuerim. Attento et liquido animo, sequentia perpendere, lectorem adhortor et obsecro.

CLII. 1°. In historia illustris antiquæ Scientiarum Parisiensis Academiæ, anno 1703, legitur, in articulis de Botanica, D. *Chapelain*, medicum Mompeliensem, grano opii, apoplecticum sanasse; mulieremque quamdam, cùm hydropico marito, 15 ad 20 grana opii dedisset, sudore et urinis copiosissimis, illum sanatum, præter spem, vidisse.

2°. Litteratis omnibus notum est, orientales populos opio uti, ut vino et alcoole utimur, illosque, hoc, per aliquot dies, orbatos, soporosos, mœstos, languidosque fieri; quæ omnia, recuperato opii usu, evanescent. (Vide de morib. Turc. et Persar. antiquos et recentior. Scriptores).

3°. Neminem paulisper exercitatum fugit, ægros, morbis nerveis dictis afflictos, languore, torpore, animi defectu continuo, penè conquassatos, haustu anti-spasmodicæ potionis, cujus basis est laudanum liquidum, ut fascinatione quâdam, ad alacritatem, et vitæ munera, derepentè reddi. Ego quidem, tantas opii vires, sæpissimè his in casibus, mirari debui.

4°. Sanctè etiam asserere possum, me multoties, in lethargica affectione, quâ non rarò opprimuntur, catarrho, aut ulcere vesicæ urinariæ, ægrotantes, duo, tres, quatuor, et amplius etiam, grana opii, sub pilulæ forma, intus præscripsisse, eo cum fructu, ut mentis et corporis vires, mirificè erigerentur, soporque oppressivus, et mœstus, in vigiliam jucundam mutaretur.

5°. Ante paroxysmi ingressum, febrium intermittentium tenacissimarum, in quibus rigor, tremor, debilitas perstant per plures horas, vitamque hominis minuantur, mihi mos est, à multis annis, ægro stragulis aptè cooperto, administrare potionem (cujus idæam mihi dedit *Sydenhamus*) ex unciis quatuor vini albi, cum serpentariæ pulverisatæ scrupulo uno, et laudani liquidi guttis viginti quatuor ad triginta. Hoc medicamento, aliquoties vidi paroxysmum profligatum, sed saltem, ferè semper, frigus, rigor, tremor, soporque supprimuntur. Notandum autem volo, me, primis vicibus formulam *Sydenhami* sequentem, laudanum huic non addidisse, modòque feliciter mihi cessisse, hâc additione.

6°. Opium quoque tandem in usum vocavi, in paroxysmo febrium intermittentium malignarum et soporosarum. Motus fui, nec me pœnituit, à clarissimo *Barthez* nuper defuncto, qui primus, ut arbitror, opium commendavit in paroxysmis comatosis febrium mali moris, omniumque acutarum malignarum, in quibus, ab initio, caput offenditur. Exemplum:

Initio Junii, anni 1807, nosocomium adiverat mulier quadragenaria, coqua, admodum morosa, febrì tertianâ, à mense conflictata. Cùm, corticem peruvianum, et alia amara renueret, *arseniato sodæ* illam curare debueram, et jam ab aliquot diebus, febre vacabatur. Evenit autem ut per noctem quosdam nosocomii graviter ægrotantes inviserem, et sorte, ad lecti hujus coquæ vicinias transirem; en, illam cerno immobilem, mortuæ similem, cum facie cadaverosa. Pulsum exploro; nullus motus: clamo; nulla vox: obediunt membra, et cadunt. Rigens frigus, per totum corpus. Levis motus cordis, et quædam suspiria, de superstitute vita testantur. Præsentem judico paroxysmum novum, mali moris. Calefacere, et fricare ægram jubeo, vesicantiæque suris apponere. Interea, paratur

potio , ex vini generosi calidi , unciis quatuor , laudani liquidi, et liquoris anodini mineralis, ana, drachma una; quam cochleatim ipse in ore infundo; et tanto cum fructu, ut pro cochleariorum numero, pulsus elevaretur, et ægra tandem tanquam ad vivos resurrecta, mihi obscuras quasdam voces alloqueretur. Denique, post duas horas continuati auxilii, pulsus erectus, frequens, et febrilis factus est, ægraque perfectum sensûs et motûs usum acquisivit. Crastina dies apyra erat, et unciâ corticis, recidivam arcuimus; unde sanatis vesicantium plagis, sana, et vegeta hæc mulier, nosocomio vale dixit.

Non succedit tamen adeò feliciter laudanum in omnibus casibus. Quinquagenarius plaustrî ductor, nosocomium petierat, ob soporosum, periodicum, capitis affectum. Frequentes erant, hoc tempore (æstas anni 1805), febres intermittentes larvatæ, quibus copioso cortice mederi debueram. Irrisit mihi rudex ille vir, de præscripto hoc medicamento, quod fortius dicebat pro tam levi morbo, et pertinaciter renuit. Quartus paroxysmus verè fuit apoplecticus et lethalis. Frustra laudanum administravi, vesicantiaque apponere curavi; intra 12 horas, æger ad plures migravit.

Alius plaustrî ductor, sexagenarius, cachecticus, ictero viridi, et antiquis febribus intermittentibus, correptus, quas, nec cortice, nec alio modo sanare potueram, incidit quoque in paroxysmo comatoso, sed cum illo symptomate, ut horridè, jugiter oscitaret. Quod videns, ipse, laudani liquidi guttas triginta, in uncia vini calidi, ut ingereret curavi; cessaverunt sopor et oscitatio, ut mecum, bono sensu, æger alloqueretur; at, post horam semissem, in eadem incidebat, à quibus eodem remedio liberabatur. Tres habuit similes paroxysmos quos impedire non potui, et in quibus similia expertus sum. Lethalis fuit tertius.

Nihilominus tamen comprobatum habui , laudano soporem non augeri , sed è contra cessare.

7°. In atonica , seu vaga podagra , sæpiùs , cum fructu , opio usus sum. Exemplum :

Nauticus piraticus , quinquagenarius , gulæ et vino deditus , cui aliquoties in atrocibus podagricis doloribus opitulaveram , in nosocomium delatus erat , mense Aprili , 1807 , omnium artuum paralyticus , alvum et urinam inscius reddens , sui que vix conscius. Præscripsi analepticam diætam , potionemque sequentem , mane et sero hauriendam : Recipe : infus. ment. uncias tres ; sirupi hujusdem , unciam unam ; laudani liquidi , et liquoris anod. miner. ana gutt. viginti quatuor. Pro potu , mox aqua vinosa calida , mox infusum calidum ex speciebus pectoral. cum melle. Tam benè cessit hæc methodus , ut octavâ , à morbo , die , jam matellam peteret , artusque movere posset. Vigestimâ die , metastasis critica facta est , in cubito brachii sinistri , in quo fluctuans tumor apparuit , magnitudinis ovi indici , quem aperire prohibui ; ab hac die , præsidario baculo adjutus , progredi potuit æger , et brevè , nosocomio vale dixit. Id singulare habuit hæc crisis , ut podagrâ , ab hoc tempore , usque ad hanc diem (Aprilis 1808) non amplius fuerit hic vexatus ; in illum enim , sanum , liberum , et gratum , singulis ferè diebus , per vias incido , cum tumore in cubito , plumbeâ laminâ , meo suasu , protecto.

8°. Sequens historia , quanquam ad spasmodicam apoplexiam non faciat , excitantem opii virtutem , tamen pervincit.

Piscator , ann. 26 , natus , qui degebat in pago , *Fossa maritima* nominato , cum die circiter 20^a. mensis Novembris , 1807 , tempore rigidissimo , pisces in stagno venaretur , imprudenter caput nudum , antè laneo pileo obtutum , vento , per aliquod tempus exposuit. Obtuso dolore capitis derepentè corripitur ,

cui succedunt , coma vigil , appetentiæ et virium defectio. Interea assuetis vacare tentat æger , usque dum , 21^a. die Decembris 1807 , vehementi cephalalgia opprimitur , cujus atroces adeo , per vices , erant dolores , ut maniacus videretur. Incassum tentatis , per plures dies , omnibus vulgaribus auxiliis , meum petitur consilium , die 29^a. hujusdem mensis , 40^{ma}. circiter , ab inchoato morbo. Ægrum invenio , debilissimum , pallidum , extenuatum. Doloris sedem præcipuam , voce et manu , indicabat in sinu frontali dextro. Pulsus vacuus , parvus , et rarus erat , et de evacuantibus cogitare non permittebat. Rheumaticam affectionem in meningibus locatam cernens , de illa foris avertenda , vesicantibus , et sudore , prima intentio erat. Vesicantia , itaque , temporibus , nuchæ , suris apponuntur ; præscribuntur balnea tepida pedis , et pro potu , infusum calidum florum sambuci , cui , vespere additur dosis pulveris *Doweri*. Sedatur dolor , sed monet æger se , transeuntem hanc sentire , è superciliis ad nucham colli. 31^a. Decembris , de repente obmutescit , stertit , omniumque sensuum amittit usum. Ad illum iterum accedens , planè apoplecticum hunc comperio , cum oculis vitreis , fixis , candelæ lumine nequidem motis , pulsu et respiratione , non plus ultra inordinatis. Conclamatum itaque judico. At , cum de testamento parentes loquerentur , tentare volui an sensus paulisper revocare , possibile esset ; granum itaque opii solvere feci in uncia aquæ vinosæ , utque æger hoc deglutiret procuravi : en , paulò post , oculi moventur , quanquam semper vitrei , fiuntque magis ordinati pulsus et respiratio ; tunc me intuens æger , aliquas voces prodidit ; interrogatis , affirmativè , vel negativè , responsum dedit ; doloremque profundum à fronte , ad vertebrae colli , iter fecisse , manu dextrâ mihi significavit. Rem tum attentius examinans , agnovi perfectam esse hemiplexiam , in toto latere si-

nistro. Horæ tractu, duravit hæc à laudano resumptio; et iterum æger cecidit, iterum à laudano recreatus: quod quatuor repetitum est, ope quatuor granorum opii, quæ mecum tuleram, cum in vico nullus esset pharmacopola. Intestabilem tamen ægrotantem declaravi. Obiit 1^a. die anni 1808.

Quid simile habet hic morbus cum rheumatica apoplexia, à clariss. *Stoll* observata (XLIX), nullusque dubito, cadaveris sectionem, si licita fuisset, effusum quoque serum ad basim cranii, non patefuisse. Morbine, an vesicantium, opus fuit doloris mutatio? Facta est quidem dum vellicarent cantharides, et tunc transitum, ipse æger indicavit; videram quoque aliàs, in ischiatico dolore, ab applicatis loco dolenti epispasticis, fugere morbum ad alium locum: unde me pœnituit illa capiti apposuisse, non propter effectum, nam tarda nimis fuerat medicina; sed quòd, in tam atroci morbo, promiscuè feceram, præter meas regulas. Saltem autem, novum habui exemplum, nihil sopori addi ab opio; quin, è contra, suscitari ægrum.

9^o. In excitantium opii virium pervinzione, adduci etiam merentur quæ mox laudatus *Stoll* observavit in colica saturnina (CIX).

CLIII. Laudanum ergo, non solum non soporem conciliat, sed illum arcet, quotiescumque à tumultuosa interna vita, non somnus nascitur, sed suspenditur animalium actuum naturalis modus; ab hujus divina et abscondita virtute, in stateram reponi principes vitæ concitatores, non improbabile judicatur, ut jam experientiâ monitus, in febre variolosa, etiam observaverat *Sydenhamius*; unde, non semel miratus sum quantum à se ipso differat hoc remedium, in statu sano, aut in morbo, ingestum. (Vide nostram *Physiol.* n. 368). Ejus autem modus agendi in febribus intermittentibus, quarum initium totum spasmodicum est, analogam virtutem præsentire permittit,

expertum inchoante apoplexiâ , his in hominibus , delicatioribus , mobilibus , spasmisque frequenter vexatis.

Cautè tamen , in usu opii agendum , cum ægrotantibus diuturnis morbis conflictatis , et cum decrepitis senibus.

Majorem , diffusibiliorem , promptiorem , jucundiorè , tutioremque vim mihi videtur habere laudanum liquidum , quale à *Sydenhamio* institutum est , quàm opium purum , vel ejus scientificæ aliæ præparaciones. Non ineptè aromata cum hac substantia maritantur , more antiquo , et Orientis nationum usu perenni ; neque , quanquam magis coacta , *D. Echard* , tinctura Thebaica , laudano nostro liquido , usu præstantior , atquè æque fida , mihi videtur.

CLIV. An , tribus sequentibus ægris , excitans , corroborans , anti-spasmodica methodus , non conducibilior fuisset , quàm debilitans , inaniens , cum qua ad plures migrarunt ? an non numerorum quatuor et quinque ægrotantes , opio salutem debuerè ? judicent periti.

HISTORIA I.

Honestus Tabernarius *Carugiæ* (civitas quondam Sabaudorum , *Genevæ* vicina) , ætatis circiter 50 ann. , sobrius , gracilis , temperamenti biliosi , cujus diversorium viatores plurimi faciebant , mense Novembri , 1789 , magno mœrore afficitur , furti causâ , per noctem , viatori facti in suo diversorio ; ideò , summâ mane , tantâ diligentîâ latronem prosequitur , ut illum attigerit , raptamque pecuniam recuperaverit. Primò , mœstus , nunc lætitiâ tantâ exultat , ut domo redux , absque motu et sensu , apoplecticus ceciderit. Chirurgus loci vocatus , bis venæ sectionem instituit , evacuantia administravit , vesicantiaque suris et nuchæ colli apposuit , sed incassum. Cùm autem tunc ego ,

scientiarum amore, peragrarem, et sorte *Carugiæ*, per aliquot dies, commoratus essem, in consilium vocatus fui, secundâ die morbi. Ægrum comperio cum facie pallida, pulsu obscuro, absque sensu et motu, apoplexiamque nervosam et insanabilem agnosco. Tamen potiones cardiacas et anti-spasmodicas præscribo, in quibus dominabat succinatum ammoniaci, guttatim instillandas; frictiones calidas, et spirituosas, novaque rubefacientia. Sit horum medicaminum opus, aut unius naturæ, febris insurrexit, reipsa nimis tardè, sed cum tam felici eventu, ut æger sensus et loquelam satis recuperasset, ad res domesticas in testamento breviter ordinandum: inde, ut si ultimos conatus vita fecisset, iterum in statum perfectè apoplecticum æger incidit, quo sub finem quartæ diei absumptus est.

HISTORIA II.

Chirurgus optimus, Massiliensis, felicitate, et dexteritate in lithotomia clarus, 72 ann. natus, pius, sobrius, macilentus, facie pallidus, sensibilitate eximiâ præditus, multisque publicis, et domesticis ærumnis, à longo tempore, vexatus, magnam chirurgicam operationem præstiterat, initio mensis Junii, 1804, quâ haud prosperè succedente, moestus et morosus per aliquot dies fuerat. Inter hæc, ego, chirurgum illum, amicum, quem à multo tempore non videram, in plateam occursum, salutavi, et congratulatus sum, ut mos est, de facie plena, et rubicunda, quam non coloratam, et macilentam olim cognoveram. Eâdem die, cùm prandio cum proximis esset, majorique appetitu et lætitiâ gauderet, vertigine corripitur, à quo, in insultum incidit apoplecticum, perfectum, sed brevem. Ab illo surrexit hemiplecticus, linguâ omnimodo impeditus, sed suâ planè conscius. Cùm verò, in lunga, et exercitatis-

sima praxi, remediorum adversus apoplexiam usitatorum inutilitatem vidisset, nec venæ sectionem, nec alia à multis medicis proposita admittere voluit. Mihi ipsi, quem in consilio plurimi facere sæpiùs visus erat, cùm secundâ die morbi, amici officio, illum inviserem, inutilia proposita auxilia, signis, et adstrictâ manu, significavit. Facies tunc, adhuc paulisper erat colorata; respiratio facilis; pulsus humilis, et compressus. Attamen, quidam medici officiosi, arbitran-tes, in apoplexia post epulas (in quibus, ex usu, sobriè quoque se gesserat æger) emeticum conducere, aliquot grana tartari stibiati, in aqua pura quam solum æger expetebat, illo inscio, soluta fecerunt, quæ vomitum aliquem provocavere; malo adeò eventu (sit remedii aut morbi), ut æger omnem sensum amiserit, natâque febriculâ, stertente pectore, convulso latere sano, quintâ die obierit, appositis tantùm vesicantibus, post vitæ animalis deperditionem.

HISTORIA III.

Unus ex *Martiorum* præcipuis portitoribus, 58 ann. natus, vir constitutionis macilentæ, staturæ proceris, quotidie exercitatus, olim dives, festivus, et etiam libidinosus, tunc adversâ fortunâ mulctatus, moribus castus, sobrius, et ita pius, ut in templo frigido et humido, singulis diebus, per multas horas, in mentis excessum ferè raptus, degeret; temporeque quaresimali, et aliis cultûs Romani vigiliis, paucissimum cibum, ex piscibus sumeret; cæterum vegetus, ut longissimam vitam sibi promittere posset: hic vir, inquam, die 12^a. Martii, anni 1806, horâ sesquimeridianâ, cùm secundum usum, genibus nixus, preces ante prandium, cum familia diceret, derepentè sensu et motu destituitur, et non surgit, nisi paralyticus lateris sinistri, cum linguæ aliquo impedimento.

Illico accersitus , comperio hominem sedentem , facie subrubrâ , musculis zygomaticis dextræ partis convulsis , pulsu raro et compresso ; ipse , pro ut lingua permittebat , casum suum mihi narravit , quid ascendens se sentiisse , dicens. Quid sim operaturus dubito ; notio vitæ antea , constitutionis ægri , characteris morbi , venæ sectionem prohibebat ; dum è contra illam suadere videbantur , vultus plus æquo coloratus , anni tempestas , et morbi regnantes : ad illam ergo , sed mediocrem , confugere statui , clysteremque emollientem et salinum immittere , et ægrum in lecto , corpore inclinato , positum , calidis linteis , abdomini et suris admotis , calefacere. Tertiâ horâ post meridiem , iterum invisens ægrum , nullum solatium agnovi factum esse à venæ sectione , quinimò , erat major torpor in lingua et in membris : cùm autem facies adhuc rubicundior esset , me fefellit hic color , timuique , ne par morbo fuerit venæ sectio , quæ in cubito , ad uncias octo , instituta erat ; iterum itaque detrahi ex pede suasi. Horâ octavâ vespertinâ , res in pejus ruebant. Me tunc pœnituit sanguinem detraxisse , et conspiciens pulsum humilem et rarum esse , viresque minui , ad methodum excitantem animum volvi. Vesicantia ideo variis locis fuere apposita , potionemque præscripsi , ex decocto florum arnicæ , et serpentariæ Virginianæ , cum sirupo mentæ , et liquore anodino minerale , cochleatim , singulis horæ quartis , hauriendam. Juscula tenuia , omni bihorio.

Secundæ diei initium omnia remissa habet ; pulsus plenior , et frequentior , respiratio libera , sudor ubique diffusus , alvus clysmatibus obediens , minor articulorum torpor , functionumque animalium libera explicatio , spem quamdam permittebant , excitantiumque virtutem comprobassent , ni morbi naturæ propria esse illa metuissem. Horâ nonâ matutinâ , exacerbata insurgit febris , et cum illa observantur in latere sano

quidam motus convulsi, spem nostram admodum minuentes. In consilium rogo senioremedicum, Massiliensem, ægri parentem, doctrinâ clarum, nunc defunctum. Interea pergit æger in usu decocti arnicæ usque ad sextam horam vespertinam.

Advenit medicus sub finem hujus secundæ diei, ægrumque parentem suû omnino conscium comperit. At solitis apoplexiæ remediis tenaciter nimis addictus, invito me, invitâ infaustâ quam feceram venæ sectionis experienciâ, excitantia et corroborantia reprobavit, evacuantiaque et lenientia jussit iterum in usum vocare. Itaque, cucurbitulæ scarificatæ admoventur occipiti et temporibus, et pro crastina die, potio purgans præscribitur: heu, tam improspere eventu, ut æger qui jucundæ diei nunciam auroram ferè huc usque præbuerat, quique, advenientem parentem lætus salutaverat, finitâ cucurbitularum operatione, noctis æternæ ostium intraverit. Ab hac enim, sensum et motum omnem amisit; stertor pectoris, subsultus tendinum, traumaticæ jactationes, sese manifestarunt, et per noctem acerbiores fuerunt: primâ aurorâ tertiæ diei, purgativa potio difficile deglutita fuit; facies facta est Hippocratica, et æger quietè obiit sextâ horâ vespertinâ hujusdem tertiæ diei, scilicet quinquagesimâ quartâ horâ, à prima invasione.

Hic bonus, variis ærumnis afflictus fuerat, quas religiosè in pectus servaverat; sæpissimè visus fuerat in templis, rebus divinis totus absumptus, contra frigus humidum non satis munitus, præcipuè in artubus inferioribus. Etiam, nimis in cibo temperatus erat. Parata ergo erat propensio in capite ad apoplexiam. Duobus, ante morbum, diebus, flante aquilone, vultum ejus videram pleniorè, atque coloratiorem, virumque non satis vestitum, monueram, ut cave-ret à frigore pedum et tiliarum.

Erravi, ut reor, summoperè, in detrahendo san-

guinem; sed error senioris medici fuit maxima, insistendi in debilitantia, quæ, meo iudicio, noxia jam fuisse, cum illo communicaveram.

HISTORIA IV.

Apoplexia cui succedit catalepsis, catalepsi, mania.

Tessellans artifex, 64 ann. natus, pallidus, macilentus, siccus, inopiâ et diuturno mœrore conflictatus, in nosocomio degens, ob ischuriam quæ jam medicamentis sat feliciter cesserat, de soluto filio, novum, ingratum, nuncium accipit, die 6^a. Maii, hujus anni 1808. Die 7^{ma}. horâ 2^{da}. antelucanâ, apoplecticus invenitur, absque sensu et motu. Horâ 6^a. matutinâ, ægrum invisens, latus sinistrum absolutè paralyticum comperio. Immobilis erat æger, absque sensu, motu, voce et loquela; color vultûs et totius corporis, pallidissimus; macilentior habitus quàm pridie; frigus marmoreum; palpebræ conclusæ; dentes compressi; pulsus et respiratio naturales; præcordia elevata magis quàm in statu sano. Præscribuntur: vesicantia suris, latera calida ad pedes, et potio sequens paulatim instillata, vi, aperto ore, ope cunei in intervallo deficientium dentium introducti; Recipe: laudani liquidi, et liquoris anodini, ana, guttæ triginta, aquæ naphæ unciam unam; jusculi carnei, calidi, uncias tres. — Horâ sextâ vespertinâ, idem ægrotantis status, eadem præscriptio; nulla cantharidum actio, nulla alvi et urinæ excretio per hanc diem, et noctem sequentem. — Die Maii octavâ, idem frigus, eadem insensibilitas; pulsus et respiratio non immutati; sed palpebræ apertæ sunt, et stridunt dentes semper conclusi; aspectus ægrotantis est, ut hominis intuentis et audientis cùm clamatur, et qui nec

intuit, nec audit; nullus sensus ad varia incitamenta; membra pectoralia elevata, etiam quod paralyticum fuerat, non concidunt nisi post aliquot momenta. Eadem præscriptio, cui additur, pro potu, decoctum florum arnicæ, edulcoratum, inutile tamen, cum præter anti-spasmodicam potionem, æger, per 72 horas, nihil aliud haurire potuerit. Idem status, horâ octavâ vespertinâ, sed paulisper in lecto æger meierat. — Die nonâ mensis, æger loquitur absona; delirium triste, meticulosum, furens; omni momento, tentat exilire è lecto, hostem fugiendi gratiâ; vinculis constringitur. Eadem remedia. — Die decimâ, delirium insanum, puerile, absonum, non furiosum. Cibos oblatos avidè devorat. Lotii et alvi spontanea in lecto egestio. — Die undecimâ, delirium hilare, cantilena jocosa, per noctem incœpta, et totâ die iterata; pulsus plenior; calor; mador; vultus diffusus, primâ vice coloratus; carnes pleniores; cibi appetentia; retentorum egestio: sub noctem me agnoscit, nominis et qualitatis adhuc tamen immemor. Somnus non interruptus. — Die duodecimâ ad mane, ratiocinii, sensuum, et motuum ferè perfecta redintegratio; matulam petit; quæritur de vesicantibus, quæ nunc ruborem et dolorem suscitant, cum huc usque locus illorum applicationis, decoloratus fuisset. Cibus, et vinum, copiosiores. — Die 13^a. Maii, valetudo perfecta. Monueram ne de filio unquam loqueretur. Fuerunt tamen de illo quædam intempestiva verba, quibus jam mutata videbatur ægrotantis facies; sed mutato sermone, nulla indè consecutio.

HISTORIA V.

Aphonia subitanea , cum cessatione motûs , quibus succedit delirium.

Die circiter 12^a. Maii , 1808 , agricola , 53 ann. natus , temperamenti biliosi , degens in agro loci dicti *Gignac* , vicinum amicum , acutissimo morbo laborantem , ad sacra religionis munia perinvito animo hortatur , amicoque , acerbis verbis exprobratur. Perturbatur ab hac die valetudo , antea integra , et sana. Die 21^a. *Martigium* petit bonus ille , gypsum comparaturus ; cùmque , post meridiem , terminatis negotiis , domum repeteret , humo cadit , voce , motuque destitutus. Accersitus phlebotomista , sanguinem mittit ex brachio , et iterum mittit die subsequenti , 22^a. Maii. Cùm autem omnia in pejus ruerent , meum quæritur consilium. Lætus me agnoscit æger , quem apud amicum , nunc in tuto positum , viderat ; redditâque voce , narrare potuit se quid è partibus inferioribus ascendens sentire , quod loquelam , motum , atque spiritum intercipit ; quibus dictis , iterum obmutescit , et immotus fit. Pulsus debilis , rarus , tardus ; respiratio tarda ; prominentia præcordia ; sensus ubique , et nullus motus. Cùm ex linguæ aspectu , pituitam crassam in ventriculo suspicarer , quatuor grana emetici statim administrare curavi. Reipsa , multa crassa , albuminosa vomuit , et cum tanta utilitate , ut per multas horas , loquelâ et motu , ut in perfecta valetudine , frueretur. At , post meridiem , insurgabant eadem symptomata , cum illo discrimine , ut aphonix succederet delirium , et delirio aphonia. Quibus visis , jussi , ut clystere subductâ alvo , jusculo , et pane mero intincto , æger reficeretur ; vesicantia suris apposita sunt ; omnique semihorâ , potionis sequentis

cochlearium administrabatur : Recipe : *aqu. cinnamom. hord. unc. quatuor; aqu. naphæ unci. duas; sirup. de tunicis. unciam unam. Confect. hyacinth. unci. semiss. laudani liquidi, et liquor. anod. ana, guttas quadraginta. M.* Mirus fuit horum effectus. Quietus per totam noctem æger obdormivit, et crastinâ die expergefactus, de vesicantibus tantum conquerebatur. Eadem potio, et cibus copiosior. Semel omnino, per hanc diem, 23^{am}. Maii, aphonus fit, brevî recreatus. Die 24^a. sat valet, ut domum carro remigrare potuerit. Die 25^a. , potione mannatâ ducitur alvus. Horâ undecimâ matutinâ, delirium ferox. Filiam charissimam pugnis et calcibus æger incursat, è domoque extrudit; inde per campos evagatur. Coegitur, et haustâ magnâ parte potionis anti-spasmodicæ supradictæ, obdormiscit. Die 26^a. , subdelirium, sed quietus æger. Cibus optimus, nutriens, et eadem potio. Die 27^a. errorem agnoscit, filiam petit. Diebus subsequentibus, perfecta mentis et corporis valetudo, ut nunc melius se habeat hic agricola quàm priusquam hujus morbi prodromis afficeretur.

Experientiâ meâ teste, in apoplexiam converti potuisset hæc aphonía.

HISTORIA VI.

Die nonâ Junii, hujus anni, 1808, horâ circiter 9^a. matutinâ, rusticus sexagenarius, huc usque vegetus, è pago dicto *Vitrolle*, acerbo dolore confectus, ob filium nuper capitis arcessitum, et carcere inclusum, animo linquitur, nauseat, et paulò pòst humi, absque sensu et motu, prosternitur. Chirurgus vocatus, vomitum sollicitat, inde alvum. Sed impeditâ deglutatione, ferè nullum emeticus habet effectum. Sanguis 2^{da}. die extrahitur è cubito, ad uncias quindecim cir-

citer; qui non concrevit, fluidusque et serosus manet. Tertiâ die, redeunt paulisper sensus et loquela, ut supremas voluntates tradere possit, sed brevissima est remissio. Vesicantia suris apponuntur, et incassum. Quartâ die, meum flagitatur auxilium, et apud ægro- tantem accedo horâ nonâ matutinâ, 72 horis scilicet, à primo insultu. Erat æger absque sensu et motu; fa- cies pallida; oculi vitrei; respiratio stertens, et summè difficilis; pulsus tumultuosus, et velocissimus; sudor frigidus; paralysis universa. Ut sequentem anti-spas- modicam potionem cochleatim obsumeret enixus sum, experimenti gratiâ: Recip. infus. folior. meliss. uncias duas, aqu. naph. unc. unam, laudan. liquidi et liquoris anod. miner. ana gutt. triginta. Horâ unde- cimâ, coloratior erat vultus; movere oculos, et au- dire poterat æger, linguamque paulisper ad nutum exerere. At, brevissima fuit remissio, et obiit miser horâ secundâ pomeridianâ.

An in tempestivis anti-spasmodicis suppetias non habuisset hæc apoplexia, ut illa quam descripsimus in Historia quarta?

CLV. In levissimum insultum apoplecticum, me- dici vix vocantur, cum extemplo plerumque ægri resurgant; sed, si detur occasio, confestim, ad ho- minem excitandum, omnibus sensibus, objecta ve- hementia offerenda sunt; oculi ideò radiis solaribus et luci splendidæ objiciendi; aures, clamoribus, stre- pitu, et sonitu concutiendæ; et imprimis æger proprio nomine, magnâ voce, sæpè appellandus est (quod in omnibus soporosis affectibus æqualiter conducit). Naribus, acria, aromatica, spirituosâ, offerenda sunt, in osque itidem instillanda, ut acetum, succinatum ammoniaci, aquæ spirituosæ melissæ, lavendulæ, etc. Tactus, frictionibus, vellicationibus, pilorum evulsio- nibus, ligaturis, digitorum complicationibus, et aliis hujus modi, sollicitandus. Revocatus homo, de reci- divæ

divæ periculo monitus esse non debet, metus enim solus sufficit ad illam præcipitem adducendam : sed sagaci animo , ad diætam et curationem prophylacticam , incitandus est , quibus dum novus removetur insultus , paralysis etiam , si quæ est , medicatur.

CLVI. Monitos autem opto omnes ægros curantes , in omnibus affectibus soporosis , nullâ factâ exceptione , sæpissimè per plures dies nulla vitæ indicia apparuisse , miro tamen naturæ et humorum motu , sanitati pristinæ , desperatos , et mortuos habitos , restitutos fuisse , ut exempla habemus , præter illa relata in nostro Medicinæ legalis et Hygienæ publicæ Tractatu (anno 1796 , Parisiis , edito). Non deserendi ergo et sepeliendi apoplectici , nisi post biduum , aut triduum , donec foeda cadaveris exspiratio , colorque corporis livescens et nigricans , mortuos reverà esse , apoplexiâ , vel alio soporoso morbo defunctos , patefaciant. Non desunt equidem hac de re optimæ leges , sed quarum exsecutio , multis in locis , adhuc inter desiderata manet.

C A P U T V I I I .

Apoplexiæ probabilior prophylaxis.

CLVII. **A**POPLEXIAM avertere , quàm præsentem curare , faciliùs esse , omnes consentiunt. Id tamen tantùm intelligitur de iis apoplexiis quæ à plethora , quæque sit , proveniunt , et etiam de consanguinea ; non verò de apoplexia spasmodica , seu nervosa. Illæ enim quibusdam signis anteceduntur ; hæc verò , de repente , absque minimo prodromo , nullâ causâ manifestatâ , hominem jugulat ; arduum ergo æque est , hanc præcavere , quàm sanare. Nullam-ne , idcirco ,

habet hæc apoplexia prophylaxim ? non desperatum reor. Demonstratum fecimus (LXX , etc) , ni fallor , altas jam , ante insultum , ferè omnes apoplexias , habuisse radices ; physicas quidem multas esse causas occasionales et disponentes , sed multas quoque in hominis morali essentia locari (LXXIII) : materiales igitur cautiones quibusdam conferunt , aliis , et multis , sapientiæ consilia , his adjungere juvat.

In omnibus autem , medici prima lex esto , de tanto periculo , ægrotantem suum nunquam seriò nimis monendi , cùm hâc ineptè officiosâ admonitione , plurimi in morbum ceciderint ; præstetque fatum ignotum , jugiter superciliis annexæ obitus imagini. Apoplexiæ hæreditariæ , et prudentiæ ad illam avertendam necessariæ , sequens affert exemplum *Forestus* : senex repletus , cujus pater et frater apoplectici interierant , discit , dum ambulat , amicum octogenarium , morte subitanèa mox extinctum fuisse ; tremit illico pes sinister , et domo redux apoplexiâ corripitur , à qua tamen liberatur ; sed subsequente anno , iterum apoplecticus deficit (*observ. l. 10 , observ. 70*).

CLVIII. Ut , quæ jam fusiùs in tota hac nostra oratione dicta sunt , compendiosè colligamus , memorari juvat : frequentius à quadragesimo ætatis anno , grassari apoplexiam. *Huic obnoxios , imprimis , observatos fuisse* , quibus sunt amplum caput , collum breve , corpus obesum ; segnes , edaces , Baccho nimis indulgentes ; hæmorrhagiis frequentibus et copiosis diu laborantes , præsertim è vasis hæmorrhoidalibus , quæ suppressæ indè fuerunt ; eos , qui ulcera diu fluentia , nunc suppressa , habuerunt ; qui doloribus diuturnis , mœrore , inediâ , pravis cibus , frigido , humidoque vitæ habitu , dissoluti fuere. *Plerumque apoplexiam præcedere* , vertigines , cephalalgicæque frequentes ; levem narium hæmorrhagiam ; fugaces visus et auditus intermissionem , vel eorum inusitatas ,

et non objectivas sensationes ; artuum temporarium torporem ; frequentem soporem ; in quædam verba balbutiem ; memoriæ lapsum , illamque aliquoties integrè destructam ; incubum frequentem ; ciborum appetentiam amissam , improvisè renovatam ; vultûs plenitudinem insuetam ; vivaciorem intellectum , vaticinantem. Tandem memores estote , *præsentem apoplexiæ occasionem sequentia frequenter præbuisse* : frigus calenti corpori repenti appositum , et vice versâ , calor tempestatis maximus , vel calor loci , ob numerosissimum cœtum ; balnea calida , et vaporis ; hypocausta ; calidarum mineralium aquarum usus internus , vel frigidarum gazo-carbonicarum , usus immoderatus ; vomitus ; motus vehementissimus ; inspiratio alta diu , protracta ; ira incandescens , vel præfocata , in homine imperioso , contradictionis impatiens ; capitis incauta lavatio , et hujus diuturnior inclinatio ; colli arctior ligatura ; cubatio capite submisso , post cœnam lautiolem ; somnus diutiùs protractus ; Venus immodica ; ebrietas ; nuncius inexpectatus. *Ex his* , quibus , et quando necessaria sit prophylactica medicina , quid vitandi , quid faciendi , facilis ducitur consecutio.

CLIX. Ad apoplexiam præcavendam , ab omnî tempore , magna spes reposita est , in venæ sectione , purgantibus , motu , medicamentis nervinis dictis , et victûs ratione. Quæ cum suam aliàs habeant utilitatem , aliàs , noxia esse possint indiscriminatim adhibita ; cumque etiam suam exigat prophylaxim , unaquæque apoplexiæ species , quæ aliæ speciei non conduceret : singulariter , de his quinque magnis auxiliis , disserere , perutile decernimus.

CLX. Fuit multorum opinio , apoplecticos , quotquot sint , esse plethoricos ; ideoque , ut sanguinis redundantia minuatur , nunquam non utilem esse venæ sectionem , illam maximè quæ circa æquinociale tem-

pus , plurimis institui solet , quo scilicet , solennes ferè esse solent sanguinis et humorum commotiones , naturæque conatus ad eliminandum id quod est superfluum. Equidem , plethoræ sanguinæ promptius et efficacius medicamentum , venæ sectio considerari potest ; at , distinguendum , an instituatür pro cautela tantum , et nondum præsentis turgescentiæ periculo ; an verò , minitante apoplexiâ.

Comprobatum habeo , in primo casu , non solum non minui sanguinis educatione , plethoricam constitutionem , verum etiam illâ ampliari ; eò plus , videlicet , advecto sanguine , in venas , quo sæpius in illis repetitur vacuum , ut notabant clariss. *Tissot* et *Cullen*. Vidi sæpius obesos , oppressos , ad hoc auxilium confugere , et paucis post diebus , deterius se habere. Fit inde prava constitutio quæ in cacochymicam mutatur. Pejus ab assueta venæ sectione , etiamnum se habent cachectici , et pituitosi ; dum bonum sanguinem amittentes , solidorum vim magis ac magis destruunt , pravosque humores , sanguinis vice , in vasa introducunt : unde jam monuerat *Avicenna* , eos qui plurimum utuntur venæ sectione , *propter melancholicum sanguinem* , ex multitudine quidem , phlebotomiâ juvari videri , sed in fine deficere , quoniam incidunt in apoplexiam , et similes morbos.

In imminente verò apoplexia , datis signis veræ plethoræ sanguinæ (CXXIX) ; præsentibus , vertigine , oculis caligantibus , luces vel colorem rubrum intuentibus , vultu rubescente , tumido ; sanguinis guttis aliquot è naso stillantibus : ad promptam et largam venæ sectionem confugiendum est ; hanc aliquoties naturâ monstrante viam , ut patet ex *Lancisii* observatione , quâ , senem ferè septuagenarium , apoplexiæ prodromis affectum , effusissimâ narium , ad duodecim libros , hæmorrhagiâ , sanatum esse memorat. Quanquam tamen non arbitrandum nos sem-

per, hoc modo, insultum præpedire posse, præsertim in dispositis: neque æquipondere artificiales evacuationes, naturæ motibus, qui, ideò perturbandi non essent, si crisis, ut in observatione præcedenti, observaretur; vel si futuræ, signa præviderentur, ut in ægro de quo *Galenus* (*libr. de præcognit. cap. 13*), cui, cùm universi medici secare venam deliberarent, cunctari monuit *Galenus*, quòd hæmorrhagiam è nare dextra exspectaret, eò quòd in gena hujus lateris, magnus rubor esset, ægerque è lecto exiliret, fugiendi gratiâ rubrum anguem, è tecto proserpentem, quem videre arbitrabatur.

CLXI. Suppleri autem minimè potest venæ sectio, ubi quotannis, veris tempore hæmorrhagiæ nascuntur. Sunt enim in quibus, Martii, Aprilis, et Maii mensibus, superiora versùs, ad debiliora viscera, absque manifestata alia causa, præter humorum diffusionem, dirigitur cruor. Ferrugineo sapore, suspiriisque inusitatis nuntiatur hæmoptosis, si pulmones punctum sint attrahens; epilepsiæ, vel apoplexiæ sæpè tunc prodromi sunt sensuum hebetudo, capitis gravitas, nasalis levis hæmorrhagia, quæ morbum jugulat si copiosissima evadit. Nihil quidem præstantius huic morbidæ conversioni opponi potest quàm venæ sectio, primùm in cubito, ad organorum depletionem, deinde in pede, ad derivationem. Neque unâ vice hæc ultima institui debet, sed pluries, cùm durante vere, sæpiùs repetantur motus, ex inopinatoque renoventur casus, etiam tempore somni, irritis cautelis. Hirudines cruribus, vel cucurbitulæ cum scarificatione, saphenæ sectionis loco, applicari queunt. Prima venæ sectio amplior debet esse, v. g., ad uncias octo-decem. Aliæ sint minores, ad duas, tres, quatuor, ad summum, uncias. Neque ad ægri constitutionem hìc curiosiùs attendendum est, cùm videamus in hæmoptoicis, etiam jam debilissimis, cruorem omnem, us-

que ad extremum , cum impetu fundi. Comites facimus venæ sectionis , serum lactis , diætam herbaceam , portiones nitratas , quietem. Conducit pariter hæc prophylaxis , feminis quibus suppressi sunt menses , atque omnibus quibus deficiunt suetæ sanguinis evacuationes , quique verno tempore , lassitudines , torporesque patiuntur.

CLXII. Saluti potiùs est in plethora sanguinea , et etiam cacochymica , vel ipsius *Hippocratis* testimonio , hæmorrhoidum fluxus , maximè iis qui eundem antea jam sunt experti ; potest quinimo utiliter sollicitari fotibus , frictionibus in ano , et præsertim hirudinum applicatione. Ego quidem , lætus recordor , me duos sexagenarios , plethoricos , vertiginibus frequenter obnoxios , aliisque apoplexiæ prodromis , per multos annos , ab iis liberasse , hirudinibus bis in anno admotis , largo potu seri lactis clarificati , verno tempore , et diætâ congruâ ; cum verò , nullus amplius plethoræ timor esset , pilulis ex aloë et sapone albo , fluxum hæmorrhoidalem suppressum restituisset , à quo , sani et liberi cernebantur.

CLXIII. Generalis fermè canon est practicus : neminem facilè capitis morbos incurrere , cui officium ritè facit alvus ; quapropter , ad vindicandum ab incursu apoplexiæ corpus , maximum præsidium in purgantibus esse , ab omni ævo , prædicatum est. Equidem , ad citò sublevandum turgens caput , purgantia sæpissimè eximia sunt remedia ; vitandaque semper est constipatio , cum qua aliquoties ad apoplexiam propensi , hoc morbo correpti sunt. Sed admodum debilitat frequens purgantium usus , et nisi urgente necessitate , iis utendum. Sufficit curare ut singulis diebus alvus lubrica sit , ad hocque conferunt spinacea olera , prunæ decoctæ , et similia ; quibus non valentibus , cremoris tartari parvas doses , aquas minerales salitas , et clysteres , aliquoties substituere possumus.

Drasticæ præparationes à plerisque commendantur; sed, monentibus *Friderico Hoffmanno*, *Culleno*, aliisque, iis abstinendum, quòd nerveas intestinorum tunicas impetuosius aggrediendo, spasmos suscitent in iis, et inæqualem inducant sanguinis circuitum. Habenda est tamen ægrotantis constitutionis æstimatione, ut effectum producant laxantia; nocere enim amplius observatur sæpè, purgans, timidâ manu, propinatam, quàm purgans quod, ultra intentionem, paulò plus officio fungitur: cùm, in primo casu, undique occlusis viis, flatu tantum suscitentur, cùmque præterea, si debilius malo sit medicamentum, ab illo præmunire impotens sit. Judiciosè itaque se ducit, qui, in plethora sanguinea, cum multo calore, utitur tantum blandioribus laxantibus, è salibus mediis, manna, tamarindis: quæ frustra adhiberentur in cachecticis, cacochymicis, serosis, frigidis, in quibus minor est irritabilitatis gradus. In his, salibus mediis addi debent rhabarbarina, folliculi, senna, et etiam jalappa, et scammonia.

Considerare etiam juvat, ut jam notavit *Baglivus*, apoplexiæ vel paralyti obnoxios aut jam iisdem correptos, flatibus, borborygmis, et inflationibus ventris vehementer molestari; hæc autem symptomata sæpè purgantibus augentur: quare utile semper est his miscere quid aromatici, et anti-spasmodici, ut coriandra, anisum, cinnamomum, aqua naphæ, etc. Prudenter agitur quoque, ad vespertas diei purgationis, paregoricum propinare. Ego, in similibus, aliquoties, granum opii, in purgativa potione solvere curavi, et cum fructu; ad hanc praxim ductus fui, felici ejus exitu, in hernia incarcerata, ex consilio clar. *Richteri*.

Prophylacticè autem adhiberi non potest purgatio, in apoplexia spasmodica, ob improvisum ejus adventum: neque utilis forsitan esset, etiamsi morbus prævideri posset; ob debilitantem enim, et irritantem pur-

gantium vim , ferè semper in posterum asperantur nervei morbi , quanquam ab evacuata alvo , primâ vel secundâ die , meliùs se habere videatur æger.

Non unâ vice , pertinacem hemicraniam , et cephalæam , repetitis emeticis curavi ; nullum inde incommodum capiti advenit , cùm è contra ægrotantes liberati essent. Sed morbi fomitem ventriculus occultabat. An in serosis et pituosis , non præstaret purgantibus vomitus ? saltem asserere possum , minus ab hoc quàm ab illis infici corpus.

CLXIV. Corporis exercitationem , circulantes humores æquali modo diffundere , excrementitiorum evectori favere , congestionisque variarum partium discutere , nemo est qui dubitet ; unde in arcendis capitis morbis , hanc omnes plurimi faciunt : neque inficiam congruere motum , sed adeo moderatum tamen , ut nec corpus calefiatur , nec præceps fiat respiratio , ut in illis videmus , qui , ob obesitatem nimiam , paulisper ambulare nequeunt , quin universo sudore difflentur , anhelantesque admodum sint. Qui , ergo , vago modo , his motum commendant , in apoplexiam , si huic est dispositio , vel in alium morbum , incidere illos in causa esse possunt. Hoc peroptimè notavit *Galenus* in commentis ad *aphor. 20, sect. 3* , dicens : « verno tempore id contingit , quod in exercitationibus , licet hæ sint saluberrimæ : nam si ho- »
 » minem pituitâ plenum , vel flavâ bile , vel atrâ , vel » sanguine ipso , exercueris , aut apoplexiam , aut » epilepsiam , exercitatione induces , aut metus est » ne rupto in pulmone vase aliquo , malum adsit in- » sanabile. Multi cùm febricitare cœpissent , ob exer- » citationem non commodè susceptam , acutissimè » laborarunt. Quibus verò vicem purgationis , eo- » rum humorum qui in profundo erant , ipsa exer- » citatio suppleverit , evocatâ humorum copiâ ad » cutim , ulcera , et scabies erumpunt. »

Utique igitur convenit exercitatio, sed moderata, præsertim in senibus, in repletis, in debilibus, et in cachecticis; in his enim ultimis, ab incessu præcipitato, ab itinere longius accersito, et similibus, consumi adeo possunt vires, ut inexpectatus nascatur raptus apoplecticus, teste juvene de quo *Morgagni* (XIV); gestatio, in assuetis, ubi frequentioris vertiginis nullus timor est; vectio in rheda; navigatio; et illis deficientibus, pedestris ambulatio, in planitiem, ad levem usque perspirationem, omnem paginam adimplent. His quoque etiam abstinendum est, quoties vertigine tentatur caput, verno, atque æstivo tempore, diebus apricissimis, et proximè à cibo.

Pituitosis autem, frigidis, et humidis, utilis imprimis est motus, et etiam sub sole, hiberno et autumnali tempore; hi enim æstate, plerumque melius se habent, unde significatur, calore, eos præsertim indigere.

CLXV. Tum externus tum internus aquarum et balsamorum apoplecticorum dictorum, usus, ad curationem æquè ac præsertim hujus morbi, ut jam diximus (CXXXVIII), antiquissimus est, et aboletus verisimiliter esset, nisi suam utilitatem aliquoties habuisset: in plethoricis tamen, sanguineis, et juvenilis ætatis hominibus, hunc potius perquam noxium, cum ill. *Friderico Hoffmanno* existimo, cum hæc ingesta caput impleant, morbumque attrahere possint, potius quam illum avertere. At, his non præsentibus circumstantiis, juvare debent, et quidem juvant spirituosæ aromatica, nervos recreando, languentique circuitui vires addendo, ut *Schenckius* testatur se expertum esse (C). Tum ob flatuosos motus quibus in genere similes ægri obnoxii sunt, non abs re in usum vocanda arbitror, infusa aquosa theiformia, ex herbis cephalicis, melissa maximè, betonica, salvia, cardamomo minori, etc., quæ observante eodem *Hoffmanno*, frequentius sorbilata, san-

guinis motum æqualem servant , atque ipsi etiam cerebro et nervis conducunt.

CLXVI. Præcipua verò omnium morborum , sive curatio sive præservatio , est in optima victus ratione , pro cujuscumque corporis habitu. Verisimile est , in congenita apoplectica dispositione , quæ plethorâ sanguineâ comitatur , austerâ diætâ , et congruâ corporis exercitatione , penitùs hanc propensionem debellari posse. Sobrietas , cibus vegetabilis , aciduli potus , serum lactis , aliaque refrigerantia , verno præsertim tempore usurpata , conducere videntur.

Animadversionis tamen dignum judico , quòd , cùm , in infirmo cerebri textu , sita videatur hæc morbosa dispositio , timendum esset , ne , in assuetis à longo tempore animali nutrimento , lautiorique cibo , collapsus à vitæ mutatione nasceretur , et cum illo morbus quem fugere intentio erat ; quapropter , pedetentim tantùm iis hominibus ciborum qualitatem et quantitatem ordinare decet , incipiendo , v. g. , à suppressis carnibus in cœna. Eâdem ratione , non illico vini usum , aliorumque liquorum , assuetis prohibere debemus , sed ut ab illis meris sensim sensimque abstineant monendi sunt , permittentes tantùm vinum sufficienti aquæ quantitate dilutum , quod non sit nec dulce , nec nimis potens , et sufficiat ad debitam tensionem in cerebro sustinendam. Gradativam hanc cibi in minus mutationem commendat inprimis *Hippocrates* , *aphorism. 50 et 51. sect. II^a.*

Pertinent maximè mox dicta ad sanguineam repletionem ; neque minus corporibus cacochymicis , humoribus variis repletis , utilis est abstinentia , lento gradu , adaucta : in his enim princeps medicamentum est , ad assumenda superflua quæ è vasis , in variis carnibus diffluunt , ex *Hippocratis* consilio , dicentis , *aphor. 59 , sect. VII* : corporibus humidis carnes habentibus , famem inducere oportere , cùm fames

corpora siccet; et ex *Celso*, profitente quietem cum abstinentia magnorum morborum esse medicinam. Non agitur autem de perfecta abstinentia, sed de progressiva alimentorum imminutione, usque ad cibi et potus limitatam quantitatem. Solitus sum, usque ad uncias octo, alimenta solida, minuere, quarum quatuor ex pane biscocto, et quatuor ex assa carne, cum cyathu aquæ vinosæ, in diem. Hâc methodo, per mensem, continuatâ, varias profligavi cachecticas affectiones, à diuturnis morbis, et longo remediorum abusu productas. Ægri convalescentes, paulatim deinde ad pleniorum victum reducuntur. Verùm equidem est raram in ægris adipisci debitam docilitatem.

In serosa colluvie, cum flaccido vasorum habitu, pleniori victu, è regno animali, uti juvat, carnibusque potius assis quàm elissis; utiliter quoque gratis aromaticis, cafeto, et mero generoso, moderatâ quantitate, utuntur ægrotantes.

Vidimus autem sobrios homines non infrequenter apoplexiâ corripì, unde non universa dici potest regula, *abstinentiam hujus mali bonum esse antidotum*. In his ergo, ut in aliis, in medio jacet virtus. Abstinentiam eò minus pati possunt eximiâ sensibilitate donati, quòd promptiùs ingesta absumantur, ventriculoque et intestinis vacuis, nascatur irritamentum, et etiam aliquoties, levis animi defectus; non pleniori ergo cibo, sed frequentiori egent, quo temperatur nervorum irritatio, et renovatur sanguis. His, cafeti, et vini generosi moderatus usus ferè semper conducit, ad dissipandas melancholicas nebulas nimis sæpè similia intellectûs sedem obumbrantes.

CLXVII. Ita naturalis facta est, apud plerosque maritimorum locorum incolas, consuetudo, tabacum in continuum usum habendi, vel naribus, vel masticando, vel fenum ore hauriendo, ut pane sæpiùs quàm tabaco deficere possint. Cacochymicam et flac-

cidam inducere constitutionem, nicotianæ usum immoderatum, multa exempla, præter illud relatum (CXLVI. Hist. 4^a.), comprobant; at, omnium deterior est fumus, cum cerebrum directè afficiat. Tamen, in, à longo tempore, assuetis, et in iis quibus pituitæ copiosa excretio hoc usu provocatur, periculum esset ab illo derepentè abstinere; sed monendi sunt de noxia, et ut ideo saltem, moderatè tabacco utantur.

CLXVIII. Vitandum omnibus iis quibus apoplexiæ metus est, post cœnam statim ire cubitum, et capite nimis declivi cubare. Si aer ita comparatus est, ut hujus mali genesi sit accommodus, corpus ei non committendum; sed pedes et crura maximè adversus frigus protegendi; propterque regionum, aeris instabilitatem, corpus, omni tempore, laneis vestimentis semper est muniendum; in conclavi temperatè calido manendum, difflantibus ventis, quandoque etiam pediluvio tepido utendum. Pathemata animi vehementia, quantum fert humana conditio, sunt vitanda, somnusque nec nimis longus, nec nimis brevis esse debet. Verbo, vitentur omnia quæ supra, in causarum procatharticarum numerum relata leguntur (CLVII).

CLXIX. Quanquam (CXXXVI) non laudaverim, præsentè apoplexiâ, vesicantium ad caput, vel ad ejus vicinias, appositionem, non abs utilitate tamen illa esse posse, reor, ut et fonticula, et setacea, ad illum morbum avertendum, vel ad ejus reliquias profligandum, ubi capitis localis plenitudinis signa adsunt. Ab hac enim insensibili seri evacuatione, plethora cerebri sensim minuitur, et tutiori modo, quàm si repentinâ educatione id tentaretur. Sic vidimus (CXLVI. Hist. 1^a.) paralysis vestigia minui, pro ratione, puriformis, vesicatoriæ plagæ, stillicidii; et usu annuo setacei ad nucham, perfectam nuper obtinui epilepsiæ curationem, in jucunda puella,

in qua non ex trunco, vel artubus, oriebantur paroxysmi, sed directè ex capite.

CLXX. Inserviant verò hæ cautiones ad debellandam materialem, ut ita dicam, apoplecticam labem; cujus erunt utilitatis, in hominibus siccis, sobriis, exercitatis, morosis, laboriosâ vitâ se et suos sustentantibus, frequentius sæpè inopinatâ morte raptis, quàm prosperæ fortunæ otio et deliciis saginati? quos lacrymis et votis duntaxat in misera ætate, miseroque obitu, comitari, heu, sæpè nimis, licitum est!

Ad civilem humanum cultum pertinere apoplexiam, et varios spasmodicos morbos, vix dubitari potest; in hoc ergo quærendum tot ægritudinum et prophylaxim et remedium. Hietur generis humani liber! probant incultarum gentium mores firmiori animo hominem à natura donatum fuisse: conflictantur equidem, illæ sic, ut nos, fame, bello, nece; fortes tamen semper conspiciuntur in consilio, in dolore, in interitu, adversæque fortunæ diu sufficiunt. Solvimur ergo nos, mollitie, ludibriis, odio, invidiâ, cupiditate, aliisque insanis et furibundis pathematibus, servitudine nobilitatis; dum è contra pro lege deberet esse, ob rerum humanarum frequentes vicissitudines, nostramque circumcisam, et incertam diem, pueros educandi, in tolerantia erga nostras et omnium imperfectiones, in virilium virtutum amore, inque divitiarum, honorum, et etiam mortis, prudenti contemptu! Ne allucinemur enim: in humana conditione est, ut ephemerum sit bonum, durabileque malum; in hoc autem diuturno hydropico morbo, *philosophiam dico unicam et conducibiliorem medicinam.* Quàm rectè *Seneca!* ubi ait: « omnis vita servitium » est. Assuescendum itaque conditioni suæ, et quàm » minimùm de illa querendum, et quidquid habet » circa se commodi, apprehendendum. Nihil tam » acerbum est, in quo non æquus animus solatium

» inveniatur. Adhibe rationem difficultatibus ; possunt
 » et dura molliri , et angusta laxari , et prævia scitè
 » ferentes minus premere. » *De tranquill. animi.*
cap. X.

CLXXI. *Zenonis* sectæ occasionem verisimiliter præbuerunt difficilia , ut nostri ævi , tempora ; huic sectæ , quæ , tot cives , tot eximios viros , et digniores etiam imperantes produxit ! quæ , in magnanimitate , duntaxat nimia , vana ducens omnia quibus jactamur , sacrum quo vivimus halitum , in communem omnium utilitatem jugiter spirare debere , voceque , usuque docebat ! quæ , non toties inani , spe , victâ , in rei præstantia suam mercedem habebat ! Irrideant hodierni homines intempestivam hanc opinionem : ego quidem , immortalis *Montesquieu* assentio dicenti : *inter generis humani calamitates numerari debere Stoicorum doctrinæ eversionem.* An non præstantius facerent litterati , divina hæc , mentem erigentia , renovando , quàm pueros , heu , semper , homines , crepundiis capiendo *Mesmerianorum* , *Cranologistarum* , aliorumque histrionum , quibus nudo pectore relinquitur , persequente adversâ fortunâ ?

CLXXII. Porro , in his omnibus , plurimùm valent medici , consiliis et hortationibus , miseris , calamitosisque medentes ; magistratus enim est medicina , in quo sæpissimè non tam rebus quàm verbis operatur : « Fateri vix possum , aiebat *Baglivus* , quantum » verba medici dominantur in vitam ægrotantis , ejus » que phantasiam transmutent ; medicus namque in » sermone potens , et artium suadendi peritissimus , » tantam vim , dicendi facultate , medicamentis suis » adstruit , et tantam doctrinæ suæ fidem in ægro » excitat , ut interdum vel abjectissimis remediis diffi- » ciles morbos superaverit ; quod medici doctiores , » sed in dicendo languidi , molles , ac penè emortui ,

» nobilioribus pharmacis præstare non potuerunt ». Ut autem efficacius solatium afferant medici verba, morum castitate, et privatæ utilitatis honestâ oblivione, comitata esse debent : « medicus enim philosophus est, deo similis. Neque enim multum in cæteris rebus differunt; nam omnia quæ ad sapientiam requiruntur, insunt in medicina : argenti contemptus; verecundia; erubescencia; modestia in vestitu; autoritas; judicium; affabilis occursum; mundities; sermo sententiosus; cognitio in vita utilem, ac necessariarum purgationum; aversio à nundinatione, et à superstitione; dignitas divina. Habent enim quæ faciunt ad coercendam incontinentiam, illiberalem professionem, avaritiam, concupiscentiam, rapinasque, ac impudentiam. Hæc enim est cognitio accedentium, et usus eorum quæ ad amicitiam pertinent, et quomodo ad liberos, ac quascumque res se gerere oporteat. Quatenus igitur cum hac societatem habet, sapientia quædam est; nam et plurima ex his etiam medicus habet. Etenim scientia de diis, vel maximè animo ipsius implexa est. » *Hippocrates, de decenti habitu, caput V.*

At ! quàm differunt hodierni medici, qui mercatoriam et artificiosam, nobilissimam artem reddiderunt ! unde ferè ubique etiam, hoc, calamitatum molimento, orbatur maxima pars generis humani ! quid dicam ? tempora, temporum germanissima sunt. Idem *Hippocrates* quoque jam de similibus querebatur, unde concludendum est : *vitium cum hominibus congenitum, semper fuisse circulatoriam artem.* « Medicina, » ait ille, omnium quidem artium præclarissima est, » verum, propter eorum qui illam exercent, ignorantiam, et eorum, qui temerè eos tales esse iudicant, omnibus jam artibus multò inferior est. At, » is error hanc potissimam causam habere mihi vide-

» tur, quòd soli medicinæ nulla in urbibus pœna præ-
 » finita sit, præterquàm ignominia; sed hæc non
 » lædit eos, qui eam sibi familiarem habent. Simil-
 » limi namque hujusmodi sunt personis, quæ in tra-
 » gœdiis introducuntur. Quem admodum enim, illi
 » formam quidem, vestem, ac faciem histrionis in-
 » duunt, neque tamen histriones sunt; sic, et me-
 » dici fama quidem multi, re autem, ac opere per-
 » pauci. » *Hippoc. de lege.*

CLXXI. Utinam philosophiam amplecti, res fami-
 liaris esset! cùm verò, è contra, perarduum, admo-
 dum rarum, et etiam deridiculum sit; saltem vitam
 oblectare debemus omnibus blanditiis quas, ad doloris
 latera, posuit, mater communis; amore, scilicet,
 amicitia, dulcibus colloquiis, peregrinationibus, ve-
 natione in amœnis locis, morâ diuturniore in aere
 rusticano, frequentique in eodem equitatione, naturæ
 mirabilium contemplatione, artium liberalium cultu:
 quæ omnia, ut sæpè expertus sum; à continuo mœ-
 rore mentem avertunt, morbosam corporis constitu-
 tionem sensim in sanam restituunt, turbatosque phan-
 tasie motus in pristinum reducunt. Inter artes autem
 solatium majus afferre capaces, magnam vim obtinet
 musica, cujus effectus, ut omnes norunt, directè ce-
 rebri vires, vel intendunt, vel molliunt: hinc lubens
 consentio *Alexandro ab Alexandro* dicenti: *Ascle-
 piadem* nulla re magis quàm symphoniâ et vocum
 concentu, phreniticos, mente imminuto, et valetudine
 animi affectos, restituisse ad pristinam sanitatem.

F I N I S.

Adnotationes.

Ad Num. LXVII. (pag. 59). Objicere quis poterit mirum esse tot graves effectus à tam levi frigore produci, dum in septentrionalibus regionibus rigidissimo cœlo homo accommodetur. At, notandum, 1^o. deliciarum meridionalium corpora, perspirabilia esse; 2^o. repentinas esse, sub nostrum cœlum, temporum successiones, dum pedetentim alibi fiunt: unde sæpiùs audivi Anglos, Germanos, aliosque, ad littera Mediterranei peregrinantes, conquerentes de vehementiori, his in locis, hieme, quàm in sua patria; quod ipse in Alpibus natus et educatus, singulis annis quoque experior.

Ad Num. XCVIII. (pag. 95.) Ad morborum difficilium curationem, nulla non ab omni tempore tentata sunt. Jam adversus epilepsiam proposuerant antiquiores, cutis capitis incisionem, ad X litteræ figuram; hujus escharosin, sive adustionem; cranii terebrationem; arteriotomiam. Vide *Cælium Aurelianum. Morb. chronic. cap. de epilepsia.*

Ad Num. CXV. (pag. 129). *Methodici* etiam, quanquam; ut recentiores, ad strictum, laxum, et medium, omnem doctrinam medicam revocassent, nihilominus *spiritui* credebant, quod evidens est ex sequentibus verbis *Cælii Aureliani*: « etenim *spiritus* jam dudum à motu cessans, ex alto adducitur, » (ope scilicet cucurbitarum quibus multùm fider) » et quâdam provocatione excitus, et adcurrens, sua cubilia cognoscit, singularum viarum motus invadens, passio- nis deturbato languore ». *Morb. chronic. lib. II. paralysis. cap. I.* ex hac opinione suam verisimiliter originem traxerunt cucurbitæ, postea nimis neglectæ.

Ad Num. CXVI. Proposit. 4. (pag. 131). Celebres fuerunt apud Priscos artuum vincituræ, in quibusdam capitis morbis, ut epilepsia, et in variis hæmorrhagiis. *Ægitudinis* duos modos agnoscebant: alium localem, circumscriptum, alium universum, à *raptu* quodam, consentiente toto corpore. Quatuor erant floris sanguinis differentiæ: *putredinis, osculationis, expressionis* sive *sudationis*, et *eruptionis*. In hac ul-

tima, ligatio comprobabatur. Vide *Cælium Aurelianum. In capitib. de epilepsia, et de hæmorrhagia.*

Minimè aspernendum judico hoc auxilium. Etiam nuperimè in loco *Gignac* dicto, vidi juvenem febrî hæmorrhagicâ perculsum, qui omnem per nares amittebat sanguinem, irritis venæ sectionibus, et aliis adjutoriis. Suasit anicula ut minimus digitus vinceretur. Sistit sanguis per aliquot horas, sed iterum fluxit. Jussi ut artus omnes vincerentur; quod tandem prorsus prosperè cessit. Non idèò absque ratione tentabitur artuum ligatura in cerebri hæmorrhagia.

Proposuit quondam, nescio quis, in schola Monspeliensi, carotidum ligationem, quam jam, vitâ superstite, fecerat *Galenus*. Sed peior morbo fuisset medicina; et deinde, ligatis carotidibus, non minus per vertebrales arterias, sanguis, suo raptu, fluere perrexisset.

Ad Num. CXLII. (pag. 169) Piscator octogenarius, procerus, macilentus, melancholicus, sordidus, per menses Maii et Junii hujus anni 1808, vertigine, et narium levî hæmorrhagiâ, sæpiùs correptus fuerat (ut et tres alii viri, qui verisimiliter idem fatum habebunt); somnolentusque et inappetens factus erat. Die 3^a. Julii, vegetior è lecto surrexit, alacrior, appetentior. Avidè pransitavit horâ meridianâ; merendam sumpsit, horâ quintâ vespertinâ; ambulavit usque ad octavam horam, et domo redux attonitus factus est, voces quasdam tantùm emittens. Meum filiaë flagrant auxilium, horâ octavâ matutinâ, sequentis diei, (famæ solùm consulendi gratiâ, ut mos est apud rudem et ferream hanc gentem). Sequens erat ægrotantis status: vultus tumidus, violaceus; palpebræ conclusæ, oculi immoti; resoluta, et prolabens maxilla; lingua violacea, tumida, oris cavum implens, ut strangulatorum; deglutitio impedita; respiratio sublimis; paralysis universa; pulsus rarus, plenus, tensus ad latera; præcordia elevata; nullus motus, nec sensus, si excipias quòd, cum ut moveret linguam, jussissem, paulisper movere visus est. Ex præteritis et præsentibus raptum sanguineum agnovi, et desperatum casum. Tentare nihilominus decrevi, experimenti causâ, jugularis venæ sectionem, clysterem acrem, et sinapisantium applicationem. Cum venæ tumidæ essent in collo, perfacilis fuit sanguinis eductio; quo fluente, facies pallida fiebat, pulsusque minus tensus, minusque rarus. Inutilis tamen fuit operatio; clysterem, ob anum paralyticum, injicere non potuerunt; sinapismi, quanquam fortes, nullum ruborem produxerunt,

Et æger obiit horâ secundâ pomeridianâ, 18 scilicet horis ab inchoato insultu.

Eâdem horâ octavâ vespertinâ diei 3^æ Julii, descenderat mercurium in barometro, in gradum pollic. 26, lin. 10, et cooriebatur magna procella. An, inde, apoplexia hujus senis? Potuit, cùm jam à multo tempore, huic morbo proclivitas esset.

Loquendo de hæmorrhagia cerebri, juvat hic adnotare observationem Dⁿⁱ. *Gautier de Claubry* de hæmorrhagia vertebrali, in homine ætatis ann. 61, huc usque athleticè valente, cujus celer æquè fuit exordium, quàm lethalis exitus. Vide *Diarium Societ. Med. Parisiens. mensis Junii, ann. 1808*. Quid simile habet cum hoc casu historia sutoris de quo locuti sumus ad n^{um}. LVII; cum eo discrimine, ut cùm effusio vertebralis fuerit tantùm serosa, successit unâ paralysis, dum è contra succedit mors, effuso copioso sanguine vel in cranium, vel in fossa vertebrali.

10	177
11	178
12	179
13	180
14	181
15	182
16	183
17	184
18	185
19	186
20	187
21	188
22	189
23	190
24	191
25	192
26	193
27	194
28	195
29	196
30	197
31	198
32	199
33	200
34	201
35	202
36	203
37	204
38	205
39	206
40	207
41	208
42	209
43	210
44	211
45	212
46	213
47	214
48	215
49	216
50	217
51	218
52	219
53	220
54	221
55	222
56	223
57	224
58	225
59	226
60	227

ERRATA.

<p><i>Pagina</i> 9</p> <p>17</p> <p>24</p> <p>38</p> <p>42</p> <p>44</p> <p>49</p> <p>54</p> <p>55</p> <p>57</p> <p>66</p> <p>74</p> <p>77</p> <p>93</p> <p>94</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>97</p> <p>107</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>115</p> <p>118</p> <p>122</p> <p>124</p> <p>129</p> <p>131</p> <p>137</p> <p><i>ibid.</i></p> <p><i>ibid.</i></p> <p>147</p> <p>150</p> <p>151</p> <p>171</p> <p>176</p> <p>179</p> <p>181</p> <p>183</p> <p>191</p>	<p>linea 35</p> <p>19</p> <p>13</p> <p>20</p> <p>18</p> <p>26</p> <p>26</p> <p>36</p> <p>33</p> <p>2</p> <p>29</p> <p>8</p> <p>19</p> <p>11</p> <p>4</p> <p>10</p> <p>9</p> <p>34</p> <p>35</p> <p>16</p> <p>1</p> <p>36</p> <p>3</p> <p>25</p> <p>10</p> <p>3</p> <p>8</p> <p>29</p> <p>6</p> <p>1</p> <p>17</p> <p>17</p> <p>14</p> <p>22</p> <p>22</p> <p>28</p> <p>16</p>	<p>soporà narcotismo, <i>lege</i> sopor à narcotismo.</p> <p>acutant, <i>lege</i> acutam.</p> <p>plenitude, <i>lege</i> plenitudine.</p> <p>provocasse tam, <i>lege</i> provocatam.</p> <p>precenique, <i>lege</i> precedentique.</p> <p>hæc, <i>lege</i> hæ.</p> <p>genus humani, <i>lege</i> generis humani.</p> <p>Boulli-peïssa, <i>lege</i> Bouillia-baïssa.</p> <p>de morbe, <i>lege</i> de morbo.</p> <p>populariter sævit, <i>lege</i> populariter sæviit in pagis, etc.</p> <p>magisque, <i>lege</i> magis, magisque.</p> <p>universum corpus, <i>lege</i> ad universum corpus.</p> <p>entingui, <i>lege</i> extingui.</p> <p>nervæ, <i>lege</i> nerveæ.</p> <p>compressum fuit, <i>lege</i> compressum fuerit.</p> <p>mortam, <i>lege</i> mortem.</p> <p>spectat quædam, <i>lege</i> spectat ad quædam.</p> <p>diaphoretica cinnabaro, <i>lege</i> diaphoretica ex cinnabaro.</p> <p>ex, <i>lege</i> in.</p> <p>morbum, <i>lege</i> morborum.</p> <p>sanguine, <i>lege</i> sanguineæ.</p> <p>effusio, <i>lege</i> effuso.</p> <p>plexus choroidos, <i>lege</i> choroideos.</p> <p>generari, <i>lege</i> generare.</p> <p>à ruptu, <i>lege</i> à raptu.</p> <p>proludiis, <i>lege</i> præludiis.</p> <p>robores, <i>lege</i> rubores.</p> <p>servari, <i>lege</i> servavi.</p> <p>conjuncto, <i>lege</i> conjuncta.</p> <p>pretiosus, <i>lege</i> pretiosior.</p> <p>irritationem, <i>lege</i> irritatione.</p> <p>quæque, <i>lege</i> quoque.</p> <p>rurum, <i>lege</i> rerum.</p> <p>ægroque, <i>lege</i> ægraque.</p> <p>indici, <i>lege</i> indice.</p> <p>nuntiari, <i>lege</i> nuntiavi.</p> <p>hæmoptosis, <i>lege</i> hæmophtois.</p>
---	---	--

*Ouvrage du même Auteur , qui se trouve chez les
mêmes Libraires :*

Essai de Physiologie positive , ap-
pliqué spécialement à la Médecine
pratique ; *avec cette épigraphe : Πάντα*
ὁμοίως ἀρχή , καὶ πάντα τελευτή. Ἱπποκρ.

3 Volumes in-8. 1806. belle édition.
Prix br. 12 francs.

... de la médecine, qui se trouve chez les
...
... de l'histoire, positive, et
... à la médecine
... : dans
...
3 Volumes in-8. 1800. Belle édition.

ix
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

Catalogue

DES LIVRES

DE FONDS ET EN NOMBRE

QUI SE TROUVENT A LA LIBRAIRIE MÉDICALE

DE GERMER BAILLIÈRE,

LIBRAIRE, SUCCESSEUR DE M^{me} AUGER-MÉQUIGNON,

RUE DE L'ÉCOLE DE MÉDECINE, N^o 13 (BIS), A PARIS.

Novembre 1850.

Sous presse pour paraître incessamment.

FOY. Cours de pharmacologie, ou Traité élémentaire d'histoire naturelle médicale, de pharmacie et de thérapeutique. 2 vol. in-8. 12 fr.

Si l'anatomie, la physiologie, la pathologie sont les clefs de l'art de guérir, la pharmacologie n'est pas moins importante, puisqu'elle apprend au médecin tout le parti qu'il peut tirer des médicaments sagement administrés.

Depuis long-temps il manquait à MM. les Elèves en médecine un ouvrage sur la pharmacologie. M. Foy, ancien pharmacien, professeur particulier de pharmacologie, vient de remplir cette lacune en publiant le cours qu'il fait avec tant de succès depuis plusieurs années. Cet ouvrage, le seul qui existe sur cette partie de la médecine, ne laisserien à désirer. Tous les agents thérapeutiques quise trouvent au cabinet de la faculté de la médecine de Paris, y sont décrits avec la plus grande exactitude. Les sophistications qu'éprouvent dans le commerce les drogues simples et composées sont dévoilées et rendues faciles à reconnaître. De nombreux tableaux synoptiques sur les classifications, propriétés et doses de médicaments; des notions précises sur l'art de formuler; un certain nombre de formules avec le texte latin en regard, feront de ce traité pharmacologique le manuel indispensable des Elèves et des Praticiens. Cet ouvrage paraîtra le 15 novembre

AMUSSAT. Leçons sur les maladies des organes génitaux et urinaires de l'homme et de la femme, considérées sous les rapports anatomiques et physiologiques, publiées sous ses yeux, par ses élèves MM. A. PETIT et D. THIAUDIÈRE, D. M. P.

Une connaissance exacte et approfondie de l'anatomie des organes génitaux et urinaires, des découvertes importantes sur la structure et la direction de quelques-uns d'entre eux, ont conduit M. Amussat à changer, pour ainsi dire, la face des idées admises jusqu'à lui sur les maladies de ces organes. S'il a trouvé des contradictions dans le principe, aujourd'hui ses heureuses découvertes portent leur fruit, et on en reconnaît toute l'utilité.

M. Amussat a lu dans le sein de l'Académie quelques mémoires sur les rétentions d'urine, la taille par le haut appareil, etc. mais c'est sur-tout dans ses cours publics, en présence d'un nombreux auditoire, qu'il a donné plus de développements à ses idées ingénieuses sur les points d'anatomie et de chirurgie dont il s'est le plus occupé; il appartenait à deux des élèves qui ont suivi long-temps et recueilli avec soin les leçons d'un tel maître, d'en faire, avec son approbation, un livre dont l'utilité sera sentie par les hommes de l'art, par les élèves de nos écoles, et par les gens du monde, qui pourront y trouver des préceptes importants.

DANNECY. Du *sensorium commune*. — Histoire de sa découverte; — de l'opinion des principaux auteurs qui ont admis ou cru avoir trouvé un appareil central; — de la détermination des véritables fonctions de ce système nerveux; — jusqu'à quel point il peut être considéré comme la cause matérielle du *principe vital* de quelques physiologistes; — de son siège et des moyens de juger de son développement par l'inspection de la tête; — des manifestations de son activité, propres à faire apprécier, jusqu'à un certain point, son degré d'énergie; — des signes de son altération par les progrès de l'âge, de ses

maladies, etc. Cet ouvrage, accompagné de planches, en nombre suffisant pour donner à toutes les classes de lecteurs les moyens de vérifier par eux-mêmes les observations principales de l'auteur, comprendra quatre parties qui formeront 2 volumes, chacun de cinq à six cents pages; il paraîtra par livraison d'un demi-volume.

La première livraison sera mise en vente prochainement.

Quoique la découverte que nous annonçons date déjà de plus de 10 années, l'auteur n'a pas voulu la compromettre au grand jour de la publicité, avant d'avoir pu recueillir, pour l'étayer, un assez grand nombre de preuves, puisées dans l'anatomie, la physiologie et la pathologie, qui la missent en état de résister aux chocs des objections, dont une vérité si nouvelle ne peut manquer d'être assaillie dès son apparition, sur-tout de la part des hommes qui sont moins familiarisés que les naturalistes et les médecins avec la connaissance des fonctions de l'organisme vivant.

Les opinions régnantes des écoles de philosophie, qui sont, pour ainsi dire, consacrées par les suffrages des penseurs les plus distingués, se trouvant attaquées, dans un de leurs principes fondamentaux, par la démonstration de l'existence d'un *sensorium commune*, l'auteur de cette découverte a dû revoir bien des fois les observations qui la confirment, avant de se décider à la proposer pour remplacer des doctrines immuables, en apparence, tant elles avaient triomphé de fois des tentatives faites par de laborieux investigateurs du domaine de la nature.

Il est facile de pressentir les modifications importantes que la connaissance des fonctions de ce nouveau système nerveux, apporte à la doctrine physiologique du cerveau, telle que Gall l'a exposée dans son dernier ouvrage, notamment à la philosophie qu'il en a déduite et à sa théorie de la liberté morale. L'amitié qui unissait l'auteur à cet homme célèbre, dont il s'honore d'avoir été l'élève, lui a fait un devoir d'attendre qu'il ne fût plus, pour produire une découverte contre la possibilité de laquelle il a protesté dans plusieurs endroits de ses écrits.

Enfin la découverte du *sensorium commune*, devant nécessairement apporter quelques changements dans plusieurs parties des doctrines physiologiques et pathologiques qui sont à présent généralement enseignées, il a bien fallu que l'auteur étudiât l'influence vitale de cet appareil nerveux, non-seulement sur les organes cérébraux, mais encore sur ceux qui sont désignés comme particuliers à la vie organique, tant dans l'état de santé et de maladie de ces organes, que dans l'état de santé et de maladie du *sensorium commune* lui-même.

Tel est l'ensemble des raisons qui ont fait différer jusqu'à présent la publication de l'ouvrage que nous annonçons, mais que rien désormais ne peut plus faire suspendre.

Si l'espace le permet, l'auteur ajoutera un traité sur les fonctions d'une partie cérébrale qui met l'homme et les animaux en rapport avec les aliments dont ils doivent se nourrir. Ce traité comprendra, comme tous ceux que Gall a publiés pour les différents organes qu'il a trouvés, l'historique de la découverte, l'histoire naturelle et la fonction dans l'état normal et dans l'état de maladie, puis la désignation du siège et de l'apparence extérieure de l'organe.

Dans ce cas encore, il exposera quelques vues nouvelles, que ses recherches lui ont offertes, sur la possibilité de fonder une anatomie, une physiologie, une pathologie et une thérapeutique *systématiques*, doctrine qui comprendra et s'appliquera à tous les êtres organisés, dans laquelle viendraient se fondre naturellement les doctrines de l'humorisme, du vitalisme, et généralement toutes celles qui ont été enseignées jusqu'à ce jour dans les diverses écoles de médecine.

LIVRES DE FONDS ET EN NOMBRE.

ALIBERT (J. L.). Traité des fièvres pernicieuses intermittentes; 3^e édit. *Paris*, 1804, in-8, fig., br. 3 fr. 50 c.

ANDRAL. An antiquorum doctrina de crisis et diebus criticis admittenda? an in curandis morbis et præsertim acutis observanda? *Parisiis*, 1824, in-4^o, br. 2 fr. 50 c.

AUDIBRAN. Traité historique et pratique sur les dents artificielles incorruptibles, contenant les procédés de fabrication et d'application. *Paris*, 1821, in-8, br. 4 fr.

AUDOARD. De l'Empyème, cure radicale obtenue par l'opération, avec des observations pratiques. *Paris*, 1808, in-8, br. 2 fr. 50 c.

— Nouvelle thérapeutique des fièvres intermittentes, exposée dans trois mémoires, *Paris*, 1812, in-8, br. 3 fr. 25 c.

BAUDELLOCQUE. Principes sur l'art des accouchements, par demandes et réponses, en faveur des élèves sages-femmes; 6^e édition, enrichie de trente gravures propres à en faciliter l'étude, précédée de l'éloge de l'auteur par *Leroux* et d'une notice sur sa vie et ses ouvrages, par *Chaussier*. *Paris*, 1830, un gros vol. in-12, fig. br. 7 fr. 50 c.

BAUDELLOCQUE. L'art des accouchements; 6^e édition précédée de l'éloge de l'auteur par *Leroux*, et d'une notice sur sa vie et ses ouvrages par *Chaussier*. *Paris*, 1822, 2 fort. vol. in-8, avec 17 gravures. 20 fr.

Ces deux ouvrages sont adoptés par l'administration des hôpitaux pour l'enseignement des élèves sages-femmes de l'hospice de la maternité.

BAUMES. Traité des fièvres intermittentes et des indications qu'elles fournissent pour l'usage du quinquina *Montpellier*, 1821, 2 vol. in-8, br. 12 fr.

BAUMES. Traité de l'amaigrissement des enfants, accompagné de l'élévation

- et de la dureté du ventre : maladie du mésentère vulgairement connu sous le nom de carreau ; 2^e édition. *Paris*, 1806, in-8, br. 2 fr.
- BAUMES. Traité de l'Ictère ou jaunisse des enfants de naissance ; 2^e édition. *Paris*, 1806. 1 fr. 50 c.
- BAUMES. Traité de la Phtisie pulmonaire, connue vulgairement sous le nom de maladie de poitrine ; 2^e édition. *Paris*, 1805, 2 vol. in-8, br. 12 fr.
- BELMAS. Recherches sur un moyen de déterminer des inflammations adhésives dans les cavités séreuses. *Paris*, 1850, in-4, fig. br. 5 fr.
- BÉRARD et LAVIT. Essai sur les Anomalies de la variole et de la varicelle, avec l'histoire analytique de l'épidémie éruptive qui a régné à Montpellier en 1816. *Montpellier*, 1818, 1 vol. in-8, br. 4 fr.
- BÉRLIOZ. Mémoire sur les maladies chroniques, les évacuations sanguines et l'acupuncture. *Paris*, 1816, in-8, br. 5 fr.
- BERTRAND (C. A. H. A.) Manuel médico-légal des poisons introduits dans l'estomac, et des moyens thérapeutiques qui leur conviennent ; suivi d'un plan d'organisation médico-judiciaire et d'un tableau de classification générale des empoisonnements. *Paris*, 1817, in-8, br. 6 fr.
- BIESSY (C. V.) Manuel pratique de la médecine légale, tome 1^{er}. *Lyon*, 1821, in-8, broc. 6 fr.
- BLACK. Observations médicales et politiques sur la petite vérole, et sur les avantages et les inconvénients d'une inoculation générale adoptée spécialement dans les villes, où (d'après un tableau historique de l'inoculation) on essaie de prouver que, par son moyen, dans une seule année, la ville de Londres pourrait sauver deux mille de ses habitants, l'Angleterre et l'Irlande trente mille, et l'Europe entière trois cent quatre-vingt-douze mille ; trad. de l'anglais par M. MAHON, D. M. P. *Paris*, 1788, in-12, br. 2 f. 50 c.
- BLANDIN. *Diversæ in abdomen liquidorum effusiones, auctore, etc.* (Thèse qui a fait obtenir à l'auteur la place d'agrégé à la Faculté de Médecine de Paris). *Paris*, 1827, in-4^o, br. 1 fr. 25 c.
- BLANDIN (PH. FRÉD.) Traité d'anatomie topographique, ou Anatomie des régions, considérée spécialement dans ses rapports avec la Chirurgie et la Médecine opératoire. *Paris*, 1826. Un fort vol. in-8, et atlas in-fol. de douze planches, br. 16 fr.
- On a tiré quelques exemplaires sur papier de Chine. 20 fr.

Formé à l'école de BÉCLARD, exercé de longue main à l'art de l'anatomiste et du chirurgien, par une suite d'épreuves dont il est toujours sorti avec honneur, et par un enseignement soutenu, M. Blandin était dans des circonstances très favorables pour la composition d'un ouvrage de cette nature. Aussi la lecture du *Traité d'Anatomie topographique*, ne dément-elle pas les espérances que pouvait donner le nom de l'auteur. Richesse de faits, descriptions exactes et souvent neuves, applications nombreuses et toujours utiles des connaissances anatomiques à la pratique de la médecine et de la chirurgie, méthode rigoureuse et appropriée au sujet, telles sont les qualités principales qui distinguent cet ouvrage et en font un *compendium* dans lequel non-seulement les élèves, mais encore les chirurgiens qui cultivent leur art avec ardeur, pourront puiser des connaissances solides ou des documents précieux.

- BODARD. Des engorgements des glandes, vulgairement connus sous le nom de scrofules, écouelles ou humeurs froides ; troisième édition. *Paris*, 1816, in-8, br. 2 fr.
- BOURDET. Recherches et observations sur toutes les parties de l'art du dentiste. *Paris*, 1786, 2 vol. in-12, fig. 5 fr.
- BRIERRE DE BOISMONT. Traité élémentaire d'anatomie, contenant : 1^o les préparations anatomiques ; 2^o l'anatomie descriptive ; 3^o les principales régions du corps humain, avec des notes extraites du cours de PH. FRÉD. BLANDIN, agrégé à la Faculté de médecine de Paris, etc. *Paris*, 1827, un fort vol., br. 8 fr. 50 c.

Les traités d'anatomie représentant l'état de nos connaissances, au moment de leur publication, sont très propres à montrer les acquisitions nouvelles faites dans le domaine de la science. Sous ce rapport, l'ouvrage de M. BRIERRE, bien que d'une nature tout-à-fait élémentaire, fournit des arguments sans réplique en faveur des travaux des anatomistes modernes. On y trouve, en effet, des faits importants relatifs à l'anatomie du système nerveux ; à la texture de la peau, de la langue, de la rate, du cœur ; à la conformation de plusieurs aponeuroses ; au développement de la plupart des organes, des os en particulier ; à la disposition de plusieurs parties vasculaires et nerveuses ; aux connexions des organes entre eux, etc.

Ces faits, ignorés ou méconnus, il n'y a qu'un petit nombre d'années, témoignent assez que les recherches des anatomistes de nos jours n'ont pas été vaines, et que la science était encore susceptible de progrès réels. Le but particulier que s'est proposé M. BIZIEN, en publiant cet ouvrage, a été de resserrer dans un cadre peu étendu, ce qu'il y a de plus essentiel à connaître pour ceux qui se livrent à l'étude de l'anatomie. Il eût été difficile de réunir plus de choses en aussi peu d'espace : indication des procédés de l'art de la dissection ; description détaillée de tous les organes, comprenant les notions communes à chaque genre, leur développement, leurs principales variétés, et même leurs usages ; esquisse rapide du fœtus et des organes qui lui sont propres ; exposé sommaire des régions du corps qu'il est le plus important de connaître, voilà tout ce que contient le *Traité élémentaire d'anatomie*, que l'on peut regarder en quelque sorte comme une *bibliothèque anatomique*, pouvant remplacer à l'amphithéâtre tout le bagage scientifique que l'élève est obligé d'y traîner à sa suite.

- BRIERRE DE BOISMONT.** Considérations médico-légales sur l'interdiction des aliénés, présentées à l'Académie royale des sciences. *Paris*, 1830, in-8, br. 1 fr. 50 c.
- BRIOT.** Essai sur les tumeurs formées par le sang artériel. *Paris*, 1804, in-8, broc. 1 fr. 80 c.
- BROUSSAIS (F. J. V.)** Recherches sur la fièvre hectique considérée dépendante d'une lésion d'action des différents systèmes, sans vice organique. *Paris*, 1803, in-8, br. 2 fr.
- BROWN.** Éléments de médecine, traduit de l'original latin, avec des additions et des notes de l'auteur, et avec la table de Lynch, par Fouquier, D. M. *Paris*, 1805, in-8, br. 5 fr 50 c
- BRU.** Méthode nouvelle de traiter les maladies vénériennes par les gâteaux toniques mercuriels, sans clôture ; et parmi les troupes, sans séjour d'hôpital ; éprouvée dans les ports du royaume. *Paris*, 1789, 2 vol. in-8, br. 8 fr.
- BRUNAUD.** De l'Hygiène des gens de lettres, ou Essai médico-philosophique sur les moyens les plus propres à développer ses talents et son aptitude naturelle pour les sciences, sans nuire à sa santé et sans contracter de maladies. *Paris*, 1819, in-8, br. 7 fr.
- BUCHEZ et TRELAT.** Précis élémentaire d'hygiène. *Paris*, 1825, in-12, broc. 1 fr. 50 c.
- Les auteurs ont suivi dans cet ouvrage la classification du professeur Hallé, qui leur a paru préférable à toute autre. Ils ont su aplanir toutes les difficultés d'une matière aussi informe ; en un mot, ce précis d'Hygiène est un résumé simple, clair et facile de tous les ouvrages publiés sur ce sujet, et est spécialement destiné à MM. LES ÉTUDIANTS EN MÉDECINE QUI SE PROPOSENT DE ÉCRIRE LEUR QUATRIÈME EXAMEN.
- CAMPARDON.** Du courage dans les maladies. (*Mémoire couronné au concours ouvert par M. le professeur Alibert à l'hôpital Saint-Louis, en 1818*). *Paris*, 1819, in-8, br. 1 fr. 25 c.
- CAPURON.** Aphrodisiographie ou Tableau de la maladie vénérienne ; dans lequel on expose les causes et les symptômes, avec les méthodes les plus faciles et les plus sûres de la traiter sans compromettre la santé des individus. *Paris*, 1807, in-8, broc. 4 fr. 50 c.
- CARBONELL.** Éléments de pharmacie [fondés sur les principes de la chimie moderne, trad. de l'original latin ; nouvelle édition augmentée par l'auteur, revue et corrigée par P. Poncet. *Paris*, 1812, in-8, br. 2 fr. 50 c.
- CEZAN (de).** Manuel anti-syphilitique, ou le Médecin de soi-même dans la cure des maladies vénériennes. *Genève*, 1789, in-12, br. 2 fr. 50 c.
- * Cet ouvrage rédigé d'après les principes des plus grands médecins, est le résultat de l'expérience de vingt années de pratique.
- COLLARD DE MARTIGNY.** Questions de Jurisprudence médico-légale sur la viabilité en matière civile et en matière criminelle ; la monomanie homicide et la liberté morale, la responsabilité des médecins. *Paris*, 1828, in-8., br. 3 fr.
- COMTE (Achille).** Circulation du sang dans le fœtus, décrite et dessinée par l'auteur. *Paris*, 1827, in-fol., fig. coloriées. 2 fr.
- COLOMB.** Oeuvres médico-chirurgicales, contenant des observations et dissertations sur diverses parties de la médecine et de la chirurgie ; *Lyon*, 1798, in-8, br. 5 fr.
- CHAUSSIER.** Observations chirurgico-légales sur un point important de la jurisprudence criminelle. *Dijon*, 1790, in 8, br. 1 fr. 80 c.

- CHERVIN.** Examen des principes de l'administration en matière sanitaire, ou réponses au discours prononcé à la chambre des députés, le 31 mai 1826, par M. de Boisbertrand. *Paris*, 1827, in-8, br. 3 fr. 50 c.
- CHOPART,** Traité des maladies des voies urinaires; nouvelle édition, revue, corrigée, augmentée de notes et d'un Mémoire sur les pierres de la vessie et sur la lithotomie; par FELIX PASCAL, D. M. P. *Paris*. 1830, 2 vol. in-8, br. 12 fr.
- Il y a environ trente ans que CHOPART avait publié cet ouvrage pour la première fois. Depuis cette époque, les découvertes en médecine s'étant multipliées d'une manière extraordinaire, l'addition d'un grand nombre de notes, qui missent ce livre au niveau de nos connaissances, semblait indispensable; aussi M. le docteur FÉLIX PASCAL s'est-il acquitté de cette tâche d'une manière très honorable. Il a revu avec soin toutes les parties de l'ouvrage, respecté scrupuleusement le style de l'auteur, et outre toutes les additions qu'il a faites, il a joint un mémoire remarquable sur les PIERRES VÉSICALES, et les opérations qu'il convient de mettre en usage pour les extraire.
- Cet ouvrage peut être considéré comme le meilleur et le plus complet de tous ceux qui ont été publiés jusqu'à ce jour. On y trouve un traité sur les altérations de l'urine; les maladies des reins, des uretères de la vessie; le cathétérisme; les calculs vésicaux et la lithotomie.
- CHRESTIEN (J. A.)**. De la méthode iatraleptique, ou observations pratiques sur l'efficacité des remèdes administrés par la voie d'absorption cutanée dans le traitement de plusieurs maladies internes et externes; et sur un remède nouveau dans le traitement des maladies vénériennes et lymphatiques. *Paris*, 1811, in-8, broc. 6 fr.
- DAVACH DE LA RIVIÈRE.** Le Miroir des urines, par l'inspection desquelles on connaît les différents tempéraments, les humeurs dominantes, les sièges et les causes des maladies. *Paris*, 1803, in-12, br. 2 fr.
- DELACOUX.** Éducation sanitaire des enfants. *Paris*, 1827, in-8, br. 5 fr.
- DESBOIS DE ROCHEFORT.** Cours élémentaire de matière médicale, suivi d'un précis sur l'art de formuler; nouvelle édition avec augmentations corrections et les changements qu'exige l'état actuel des sciences physiques et médicales, par Luttier-Winslow. *Paris*, 1817, 2 vol. in-8, br. 13 fr.
- DESGENETTES.** Éloges des académiciens de Montpellier. *Paris*, 1811, in-8, br. 3 f. 50 c.
- DOUBLE.** Traité du croup. (*Ouvrage qui a obtenu une des trois mentions honorables dans le grand concours ouvert sur cette maladie, par les ordres de S. M. I. et R.* *Paris*, 1811, 1 fort vol. in-8, br. 6 fr. 50 c.
- L'auteur y a joint, sous le titre de discours préliminaire, un essai sur les monographies et sur la meilleure manière de les rédiger.
- DUBOIS.** Méthode éprouvée, avec laquelle on parvient facilement et sans maître à connaître les plantes de l'intérieur de la France; *Paris*, 1825, in-8, br. 6 fr.
- DUCAMP.** Réflexions critiques sur un écrit de M. Chomel, ayant pour titre: *De l'Existence des fièvres.* *Paris*, 1820, in-8, br. 1 fr. 80 c.
- DUCHATEAU (F. T.)** Observations sur plusieurs applications de forceps au-dessus du détroit supérieur du pubis, suivies de succès, et sur le cas où cette opération doit avoir la préférence sur la version, les crochets et la symphyséotomie. *Paris*, 1823, in-8, br. 1 fr. 25 c.
- FABRE.** Traité des maladies vénériennes; quatrième édition. *Paris*, 1795, in-8, br. 5 fr.
- FAUCHARD.** Le chirurgien dentiste, ou Traité des dents, où l'on enseigne les moyens de les entretenir propres et saines, de les embellir, d'en réparer la perte et de remédier à leurs maladies, à celles des gencives et aux accidents qui peuvent survenir aux autres parties voisines des dents, avec des observations et réflexions sur plusieurs cas singuliers. *Paris*, 1786, 2 vol. in-12, fig., br. 6 fr.
- FORMULAIRE PHARMACEUTIQUE.** A l'usage des hôpitaux militaires de la France, rédigé par le conseil de santé des armées, et approuvé par son excellence le Ministre secrétaire d'état au département de la guerre. *Paris*, 1821, in-8, br. 5 fr.
- FOURCROY.** Entomologia parisiensis, sive Catalogus insectorum quæ in agro parisiensi reperiuntur, secundum methodum Geoffræanam in sectiones, genera et species distributus, cui addita sunt nomina trivialia et ferè trecentæ novæ species. *Parisiis*, 1785, in-18, br. 3 fr.

- GALLOT. Recherches sur la teigne, suivies des moyens curatifs nouvellement employés pour la guérison de cette maladie. *Paris*, 1805, in-8, br. 2 fr.
- GARDANNE. Méthode sûre de guérir les maladies vénériennes par le traitement mixte. 2^e édit. *Paris*, 1803, in-8, br. 3 fr. 50 c.
- GAY-LUSSAC. Recherches sur les maladies vénériennes primitives, considérées sur l'homme doué d'une saine constitution. *Paris*, 1803, in-8, br. 1 fr. 50 c.
- GENDRON. Mémoire sur les fistules de la glande parotide et de son conduit excréteur. *Paris*, 1820, in-8, br. 1 fr. 25 c.
- GIRARD. Essai sur le tétanos rabien, ou Recherches et Réflexions sur la cause des accidents qui sont quelquefois la suite des morsures faites par des animaux enragés, suivies de quelques notions sur les moyens de prévenir ou de guérir cette maladie. *Lyon*, 1809, in-8, br. 2 fr.
- GOUBELLY. Connaissances nécessaires sur la grossesse, sur les maladies laiteuses et sur la cessation du flux menstruel, vulgairement appelée temps critique. *Paris*, 1785, 2 vol. in-12, br. 6 fr.
- HATIN (JULES). Mémoire sur un nouveau procédé pour l'amputation du col de la matrice, dans les affections cancéreuses, avec une planche représentant les instruments nécessaires à l'opération. *Paris*, 1827, in-8, broché, figures. 1 fr. 25 c.
- La manœuvre de tous les accouchements contre nature, réduite à sa plus grande simplicité; et précédée du mécanisme de l'accouchement naturel. *Paris*, 1827, in-18, br. 2 fr. 50 c.
- S'il est une partie des sciences médicales qu'on puisse renfermer dans les bornes d'un manuel, et dont on puisse exposer les principes et leur application avec méthode et clarté, dans un petit nombre de pages, c'est sans contredit celle qui traite des accouchements. L'auteur semble avoir atteint le but qu'il s'est proposé. La description des manœuvres que nécessitent les accouchements laborieux, sur lesquels il s'est spécialement étendu, est faite d'une manière précise et méthodique. Sans pouvoir remplacer les autres traités que nous possédons sur cette matière, ce manuel pourra être d'une grande utilité aux élèves et aux praticiens.
- HATIN (FÉLIX). Mémoire sur de nouveaux instruments propres à faciliter la ligature des polypes qui naissent à la base du crâne, précédé de quelques considérations sur les variétés de cette maladie et sur les divers modes de traitement employés contre elle jusqu'à ce jour. *Paris*, 1829, in-8, fig., br. 1 f. 50 c.
- HEBRAY (A.) De l'influence de l'alimentation insuffisante sur l'économie animale. *Paris*, 1829, in-4, br. 1 fr. 50 c.
- HERPIN (F.) Méningites ou inflammation des membranes de l'encéphale, précédée de quelques considérations physiologiques sur ces membranes, et suivie de plusieurs observations recueillies à l'armée du Rhin. *Paris*, 1803, in-8, br. 1 fr. 80 c.
- HUTIN (PH.) Recherches d'anatomie physiologique et pathologique sur la membrane muqueuse gastro-intestinale. *Paris*, 1826, in-8, br. 3 fr.
- Depuis quelques années la membrane muqueuse de la portion sous-diaphragmatique du canal alimentaire attire de plus en plus l'attention des médecins; le rôle qu'elle joue dans l'économie animale par ses fonctions naturelles, le triste privilège qu'elle a de s'irriter de la souffrance des autres organes, et de la partager dans une foule de cas; l'étonnante variété des phénomènes morbides que produisent ses nombreuses altérations pathologiques, la rendent, en effet, digne de leurs méditations. Placé dans les circonstances les plus favorables à ce genre de recherches, M. Hutin en a fait le sujet d'une étude spéciale, dont il croit devoir offrir au public le résultat: il divise son travail en trois mémoires, dans lesquels il envisage la membrane muqueuse gastro-intestinale sous trois points de vue différents: dans le premier, il recherche les caractères physiques de cette membrane à l'état normal; dans le second, il étudie les diverses formes anatomiques de son inflammation et les signes qui peuvent la caractériser sur le cadavre; enfin, le troisième est consacré à établir les caractères différentiels entre elle et les divers états qui pouvaient la simuler.
- HIPPOCRATE. Traité des Airs, des Eaux, des Lieux, trad. en français sur la version de Foese, avec le texte latin en regard, accompagné de notes, et précédé d'un Précis sur la doctrine de ce médecin. *Paris*, 1804, in-8, br. 4 50 c.
- IMBERT DE LONNES. Nouvelles considérations sur le cautère actuel. *Avignon*, 1812, in-8, br. 6 fr. 50 c.
- JOBERT (DE LAMBALLE). Traité théorique et pratique des maladies chirurgicales du canal intestinal. *Ouvrage couronné en 1829 par l'Institut royal de France.* *Paris*, 1829, 2 vol. in-8, br. 12 fr.

W. Jobert, inspiré par le génie chirurgical, a eu l'heureuse idée de remédier aux plaies du canal intestinal en mettant en contact les tuniques de même nature; il a connu les difficultés avec lesquelles les muqueuses conçoivent l'inflammation adhésive, la promptitude avec laquelle ce mode inflammatoire s'empare des membranes séreuses; il a imaginé l'intestin de manière à mettre séreuse contre séreuse, et, jeune encore, il a placé son nom au dessus de ce qu'on appelle les *quatre maîtres*. En offrant au public, dans un seul traité, toutes les maladies chirurgicales du canal intestinal, M. Jobert a pensé qu'il y aurait quelque avantage à trouver réunies les altérations nombreuses qui se trouvent éparses dans une foule d'auteurs, différents. Voici le plan de son ouvrage :

Premier volume. Anatomie succincte du canal intestinal; vices de conformation congéniaux; lésions physiques; lésions vitales; productions accidentelles; déplacement des intestins.

Deuxième volume. Étranglement par engouement; étranglement spasmodique; gangrène intestinale à la suite de l'étranglement; anus contre nature; fistules stercorales; hernies épiploïques; hernies en particulier, arcade crurale; anneau ombilical; ligne blanche; hernies diaphragmatiques; trou ovalaire; anneau sciatique; hernies périnéales, hernies valvaires, hernies vaginales.

On ne lira pas sans intérêt plusieurs faits d'anatomie pathologique qui sont le résultat de ses expériences sur la gangrène, les changements de couleur des intestins et leur inflammation. Enfin M. Jobert a consigné ses belles recherches sur les plaies, les sutures des intestins et sur les hémorroïdes.

JOURNAL HEBDOMADAIRE DE MÉDECINE ET DE CHIRURGIE PRATIQUES, ET DES INSTITUTIONS MÉDICALES; par MM. BÉGIN, BÉRARD, BOISSEAU, BOUILLAUD, CALMEIL, DEVERGIE, HERVEZ DE CHÉGOIN, JOLLY, LONDE, MÉLIER, RAYER, ROCHE, SANSON, TROUSSEAU, VELPEAU.

CONDITIONS DE LA SOUSCRIPTION.

Le Journal Hebdomadaire de Médecine paraît régulièrement depuis le 1^{er} octobre 1830, le samedi de chaque semaine; chacun des trois premiers numéros du mois, spécialement consacrés à la Clinique des hôpitaux, à la publication des faits, à la revue des cours publics et particuliers, aux séances académiques, aux nouvelles importantes, etc. contient deux feuilles d'impression in-8, petit romain

Le dernier numéro du mois est formé de 4 à 5 feuilles, contiennent des mémoires originaux, des articles destinés à la discussion des faits ou des doctrines, des analyses critiques, etc.

Le prix de l'abonnement, pour l'année, est de 50 francs pour Paris, 55, franc de port, par la poste, pour les départements, et 40 francs pour les pays étrangers.

KLENIUS. *Interpres clinicus, sive de morborum indole, exitu in sanitatem metamorphematismo, successione, eventu funesto, dijudicatione, præsagitione medicæ, pagellæ in memoriæ subsidium medicis junioribus, ad infirmos ingressuris fideliter communicatæ, opusculum iterum edidit ac præfatus est ex editione Halberiana F. J. DOUBLE.* Paris, 1809, 1 gros vol. in-32, br. 2 fr. 50 c.

LAMOTTE. *Traité complet de chirurgie, contenant des observations et des réflexions sur toutes les maladies chirurgicales et sur la manière de les traiter; 3^e édition avec des notes par Sabatier.* Paris, 1771, 2 vol. in-8, br. 12 fr.

LAMARCK (J. B. P. A.) *Système analytique des connaissances positives de l'homme, restreintes à celles qui proviennent directement ou indirectement de l'observation.* Paris, 1830, 1 vol. in-8, br. 6 fr.

Indication des principales questions traitées dans cet ouvrage; des objets que l'homme peut considérer hors de lui, et que l'observation peut lui faire connaître; de la matière; de la nature; de la nécessité d'étudier la nature; exposition des sources où l'homme a puisé les connaissances qu'il possède; des corps inorganiques; des corps vivants; des végétaux; des animaux; de l'homme et de certains systèmes organiques observés en lui; analyse des phénomènes qui appartiennent au sentiment; de la sensation; des penchants naturels; de l'instinct; de l'intelligence; des idées, du jugement et de la raison; imagination, etc.

— Philosophie zoologique ou exposition des considérations relatives à l'histoire naturelle des animaux; à la diversité de leur organisation et des facultés qu'ils en obtiennent; aux causes physiques qui maintiennent en eux la vie et donnent lieu aux mouvements qu'ils exécutent; enfin à celles qui produisent, les unes le sentiment, et les autres l'intelligence de ceux qui en sont doués. Nouvelle édition.

Paris, 1830, 2 vol. in-8, br. 12 fr.

LEPELLETIER (de la Sarthe.) *Traité complet sur la maladie scrofuleuse et les différentes variétés qu'elle peut offrir; ouvrage renfermant toutes les opinions des auteurs sur cette affection, sa théorie naturelle, ses causes, ses symptômes et ses complications; les principes généraux de l'éducation la plus propre à garantir les enfants de cette fâcheuse maladie; enfin l'exposition de tous les moyens conseillés dans cette circonstance; le traitement*

- curatif de la diathèse écrouelleuse simple, celui de cette même diathèse compliquée d'une irritation ou d'une inflammation locale. *Paris*, 1830, in-8, br. 7 fr.
- LEROY (ALPH). Des pertes de sang pendant la grossesse, lors et à la suite de l'accouchement, des fausses-couches et de toutes les hémorrhagies; 2^e édition, in-8, br. 2 fr. 25 c.
- LEROY (ALPH). Manuel des goutteux et des rhumatisans, ou recueil de remèdes contre ces maladies; 2^e édition augmentée de la traduction de l'ouvrage du Docteur *Tavares* sur un art nouveau de guérir les paroxysmes de la goutte, et de la preuve qu'elle siège primitivement dans les nerfs dont l'état social modifie l'organisation et la sensibilité. *Paris*, 1850, in-18, br. 3 fr.
- LEROY (A.) Recherches sur les habillements des femmes et des enfants, ou examen de la manière dont il faut revêtir l'un et l'autre sexe. *Paris*, 1772, in-12, broc. 3 fr.
- LÉVEILLÉ. Mémoire sur les rapports qui existent entre les premières et les secondes dents, et sur la disposition favorable de ces dernières au développement des deux mâchoires. *Paris*, 1811, in-8, fig, br. 1 fr. 25 c.
- LEWIS. Connaissances pratiques des médicaments les plus salutaires, simples et composés officinaux et extemporanés ou magistraux internes et externes, ou nouveau dispensaire qui contient la chimie pharmaceutique, les noms, la description, les qualités, propriétés, vertus, doses et usage des médicaments simples; les préparations et compositions des pharmacopées de Londres, d'Edimbourg, les formules ou recettes choisies des hôpitaux anglais, celle, des médecins les plus célèbres, trad. de l'Anglais. *Paris*, 1803, 3 vol. in-12, 10 fr. 50 c.
- LIPPI (REGULUS). Dissertazione anatomico-zootomica fisiologica, divisa in cinque parti, corredata di tavole che mostrano la bizzarra forma degli organi della riproduzione di due individui nella specie umana. *Firenze*, 1826, in-8, avec 3 fig. 3 fr. 50 c.
- Illustrazioni fisiologiche e patologiche del systema linfatico-chilifero mediante la scoperta di un gran numero di comunicazioni di esso col venoso. *Firenze*, 1825, 1 vol. in-4, et atlas in-4 de 9 pl. 22 fr.
- LONDE (C.) Gymnastique médicale, ou l'exercice appliqué aux organes de l'homme, d'après les lois de la physiologie, de l'hygiène et de la thérapeutique. *Paris*, 1821, in-8, br. 4 fr.
- LOUYER VILLERMAY. Maladies nerveuses ou vapeurs, et particulièrement de l'hystérie et de l'hypochondrie. *Paris*, 1816, 2 vol. in-8, br. 11 fr.
- MAMELET. Notice sur les propriétés physiques, chimiques et médicinales des eaux de Contrexeville (Vosges). *Paris*, 1829. in-8, br. 2 fr.
- MANEC. Anatomie analytique, *nerf grand sympathique*; feuille grand in-fol. dessiné par Jacob. *Paris*, 1830. 6 fr. 50 c.
- Fig. col. 13 fr.
- Parmi toutes les planches anatomiques qui ont été publiées jusqu'à ce jour, aucune ne représentait d'une manière claire et simple l'ensemble des ganglions du *grand sympathique*. Aussi M. MANEC vient-il de rendre un véritable service à la science, en présentant réunis en un seul tableau, tous les nerfs de ces ganglions et les plexus qu'ils forment avant de se distribuer aux divers organes.
- Anatomie analytique, tableau représentant l'*axe cérébro-spinal* chez l'homme, avec l'origine et les premières divisions des nerfs qui en partent. *Paris*, 1828, feuille grand in-fol. 4 fr. 50 c.
- Ce tableau, remarquable par son exactitude, offre le grand avantage de donner d'un seul coup-d'œil une idée générale du cerveau, de la moelle épinière et des premières divisions des nerfs de la vie animale; on y voit la disposition de leurs racines dans le canal vertébral, la forme et le volume relatifs des ganglions intervertébraux et la manière dont se forment et se terminent les divers plexus. En résumé, le tableau de M. Manec est plus complet et plus exact que tous ceux qui ont été publiés jusqu'à présent dans les grands ouvrages d'anatomie représentée en figures, et plus d'un anatomiste, d'un chirurgien et d'un élève, se félicitera de l'avoir entre les mains; car il offre l'avantage immense de présenter, réunie en une seule planche, l'origine de tous les nerfs, dont la recherche demande un temps considérable.
- Recherches anatomico-pathologiques sur la hernie crurale. *Paris*, 1826, in-4, avec trois planches, br. 2 fr. 50 c.
- Placé à la tête d'un des plus vastes amphithéâtres de dissection, M. MANEC, par l'étendue de ses connais-

sances, était en position plus que tout autre de présenter des considérations nouvelles sur quelques cas d'anatomie pathologique; aussi a-t-il fait preuve, dans ses recherches sur la hernie crurale, d'une instruction aussi solide que variée. On trouvera dans son Mémoire quelques faits très intéressants sur la structure et sur la disposition des aponevroses et sur la manière de pratiquer l'opération de la hernie crurale.

TABIEAU synoptique de chimie minérale, indiquant succinctement les principaux caractères physiques, chimiques et distinctifs des corps simples, de leur combinaison et la source de leur extraction. *Paris*, 1829, in-fol. 2 f. 50 c.

MARCARD. De la nature et de l'usage des bains. Trad. de l'allemand par M. PARANT, D. M. P. *Paris*, 1801, in-8, br. 3 fr. 60 c.

MARCET. Histoire chimique et traitement médical des affections calculeuses; Trad. de l'anglais par RIFFAULT. *Paris*, 1823, in-8, fig., br. 6 fr.

MARIE-SAINT-URSIN. Manuel populaire de santé, ou Instructions sommaires sur les maladies qui règnent le plus souvent et les moyens les plus simples de les traiter, suivies de notions chirurgicales et pharmaceutiques; *Paris*, 1808, in-8, br. 6 f..

MAUNOIR (J. P.) Mémoires physiologiques et pratiques sur l'anévrisme et la ligation des artères. *Genève*, 1802, in-8, fig. br. 1 fr. 80 c.

MICHU (J. L.) Discussion médico-légale sur la monomanie homicide, à propos du meurtre commis par *Henriette Cornier*. *Paris*, 1826, in-8, br. 1 fr. 25 c.

MILLIN. Éléments d'histoire naturelle, ouvrage couronné par le jury des livres élémentaires et adopté par le corps législatif pour les écoles nationales; 5^e édition enrichie de 22 planches contenant plus de 600 sujets. *Paris*, 1802, un fort vol. in-8, br. 8 fr.

MORELOT. Cours élémentaire théorique et pratique de pharmacie chimique, ou Manuel du pharmacien chimiste; contenant la description de tous les médicaments usités en médecine; la définition des diverses opérations pharmaceuto-chimiques; l'indication de tous les procédés connus, tant anciens que modernes; le mode d'exercice pratique, relatif à chacun d'eux; l'explication des divers phénomènes qui se passent dans chaque opération, conformément à la théorie la plus moderne; l'exposition des vertus, de l'usage et des doses des médicaments, tant magistraux qu'officinaux; 2^e édit. revue, corrigée par MÉRAT, D. M. P. *Paris*, 1814, 3 vol. in-8, br. 18 fr.

NAHUYS (A. P.) Parallèle de la taille latérale de M. Lecat avec celle du lithotome caché, suivi de deux dissertations, 1^o sur l'adhérence des pierres à la vessie; 2^o sur quelques nouveaux moyens de briser la pierre. *Amsterdam*, 1766, in-8, fig., br. 4 fr.

NOUVEAU TRAITÉ DES HÉMORRHOÏDES, ou exposé des symptômes, du diagnostic, de la marche, du pronostic, des causes et du traitement de cette fâcheuse maladie; suivi d'un formulaire de prescriptions médicamenteuses employées chez les hémorrhoidaires; par C. S., docteur en médecine de la faculté de *Paris*. *Paris*, 1830, 1 vol. in-8, br. 2 fr.

PALLUCCI. Nouvelles remarques sur la lithotomie, suivies de plusieurs observations sur la séparation du pénis et sur l'amputation des mamelles. *Paris*, 1750, in-12, fig., br. 3 fr.

PARMENTIER. L'art de faire les eaux-de-vie d'après la doctrine de M. *Chaptal* où l'on trouve les procédés de *Rozier* pour économiser la dépense de leur distillation et augmenter la spirituosité des eaux-de-vie de vin, de lie, de marc, de cidre, de grains, etc; suivi de l'art de faire les vinaigres simples et composés, avec le méthode en usage à Orléans, pour leur fabrication; les recettes des vinaigres aromatiques et les procédés par lesquels on obtient le vinaigre, de bière, de cidre, de lait, de malt, etc. *Paris*, 1819, 1 vol. in-8, avec cinq planches. 4 fr.

PELLETAN, père. Observation sur un ostéo-sarcome de l'humérus, simulant un anévrisme. *Paris*, 1815, in-8, fig. br. 1 fr. 25 c.

PERCY. Manuel du chirurgien d'armée, ou instruction de chirurgie militaire,

- sur le traitement des plaies d'armes à feu, avec la méthode d'extraire de ces plaies, les corps étrangers, et la description d'un nouvel instrument propre à cet usage (*ouvrage qui a remporté le prix du concours de l'académie royale de chirurgie de Paris*) : on y a joint un recueil de mémoires et d'observations sur le même sujet, puisés dans les meilleures sources ou fournis par les praticiens les plus célèbres, nouvelle édition. *Paris*, 1850, in-12, fig. br. 2 fr. 50 c.
- PERCY. Pyrotechnie chirurgicale, ou l'art d'appliquer le feu en chirurgie. *Paris*, 1811, in-12, fig. br. 3 fr.
- PETIT (ALPH). La syphilis connaît-elle pour cause un principe spécifique, ou n'est-elle que le résultat de l'irritation? Les moyens antiphlogistiques doivent-ils dans tous les cas être préférés au mercure dans le traitement de cette maladie, et la guérison s'opère-t-elle d'une manière aussi sûre. *Paris*, 1850, in-8, br. 1 fr. 50 c.
- POISEUILLE Recherches sur la force du cœur aortique. (*Ce mémoire a été couronné en 1829 par l'Institut royal de France.*) *Paris*, 1828, in-4, fig., br. 2 fr.

En comparant les évaluations de la force du cœur aortique, données par les ouvrages de physiologie moderne, surpris de la différence énorme que présentaient ces résultats, M. Poiseuille pensa que les auteurs n'avaient pas eu le même but dans leurs recherches. La première partie de ce mémoire met cette vérité dans tout son jour. Dans la seconde, il recherche la force avec laquelle le sang se meut dans l'aorte ou toute autre artère. Un assez grand nombre d'expériences faites sur le chien et le cheval à l'aide d'un instrument qu'il a imaginé à cet effet, le conduisent naturellement à déterminer cette force chez l'homme, en appuyant sur les faits observés l'analogie qu'il essaie d'établir. Avant d'obtenir la grandeur numérique de cette force, il pose en principe que la force avec laquelle se meut une molécule de sang dans tout le trajet du système aortique est absolument la même, en quelque point de ce trajet qu'on la considère.

- POISSONNIER, DESPERRIÈRES, ANDRY, VICQ D'AZIR, DELA-LOUETTE, fils, et THOURET. Histoire du traitement fait à Senlis à quinze personnes mordues par un chien enragé. *Paris*, 1780, in-12, br. 2 fr.
- POUTEAU, Chirurgien en chef de l'Hôtel-Dieu de Lyon, œuvres posthumes. *Paris*, 1783, 3 vol. in-8 br. 15 fr.

Il ne reste plus qu'un très petit nombre d'exemplaires de cet ouvrage qui se recommande par beaucoup de mémoires remarquables sur le cancer, la phtisie, le rachitisme, les engorgements des articulations, les plaies de la tête, les luxations, les fractures, les naissances tardives, les ossifications extraordinaires, le poussement des fistules à l'anus, la taille et les maladies des voies urinaires, etc.

- PRIESTLEY. Réflexions sur la doctrine phlogistique; trad. de l'angl. par ADET. *Paris*, 1798, in-8, br. 2 fr.

- RÉDARÈS. Manuel de l'herboriste, ou Manière de récolter, de sécher et de préparer les plantes médicinales indigènes. *Paris*, 1828, in-18, br. 3 fr.

- RÉGNIER. De la pustule maligne, ou nouvel exposé des phénomènes observés pendant son cours, suivi du traitement antiphlogistique plus approprié à sa véritable nature et de quelques observations sur les effets du suspensoir. *Paris*, 1829, in-8, br. 4 fr.

RÉPERTOIRE GÉNÉRAL D'ANATOMIE et de Physiologie Pathologique, et de Clinique Chirurgicale, ou Recueil de mémoires et d'observations sur la Chirurgie, sur l'Anatomie et sur la Physiologie des tissus sains et des tissus malades; par une société de médecins et chirurgiens, et rédigé par M. G. BRESCHET, chef des travaux anatomiques de la Faculté de Paris.

Ce journal se compose de quatre numéros par an, qui paraissent depuis 1826, régulièrement à la fin de chaque trimestre: chaque numéro contient environ quinze feuilles d'impression in-4, selon l'abondance des matières; des planches y sont ajoutées quand le sujet l'exige.

On ne peut souscrire que pour l'année, qui se compose de deux volumes in-4, deux livraisons formant un volume.

Le prix de la souscription est de 24 fr., franc de port, pour Paris; 27 fr. pour les départements, et 30 fr. pour l'étranger.

Tous les mémoires, lettres et observations, qui sont relatives à ce répertoire, doivent être adressés, franc de port, à M. Breschet, rue de l'Observance, n. 3.

Les années 1826, 1827, 1828, 1829, contiennent des Mémoires de MM. Anold, Andral fils, Baer, Belmas, Bielt, Bogros, Breschet Dalmis fils, Dance Deneux, Deyber, Dupuytren, Ehrmann, Ferrier, Ferrus, Flaubert, Geoffroy Saint-Hilaire, Gilgenerautz, Girgensohn, Girou, Guibert, Héris, Heulhard, Holz, Heurteloup, Husson, Jacobson, Jose, Kaltenbrunner, King, Lallemant, Lauth, Lélut, Lambers, Lobstein, Louis, Luroth, Maréchal, Marx, Moulin, Milne Edwards, Nögels, Napoli, Poiseuille, Raikem, Raspail, Robert, Royer-Collard, Récamier, Sanson, Stoltz, Tassinari, Vernière.

- RICHERAND (A.) Nouveaux éléments de physiologie; 3^e édition. *Paris*, 1804, 2 vol. in-8, br. 6 fr.

RIVALLIÉ. Précis sur le croup, ses causes, ses symptômes et les moyens de les prévenir, avec deux observations de guérison obtenue par l'application de Moxas, Paris, 1826, in-8, br. 1 fr. 50 c.

Les médecins et les mères de famille liront avec beaucoup d'intérêt cet opuscule, écrit avec une clarté et une précision remarquables; on y trouve une description exacte du croup, l'exposition des causes, des symptômes, et sur-tout d'excellents préceptes hygiéniques pour garantir les enfants de cette funeste maladie.

ROCHE (L. C.) Réfutation des objections faites à la nouvelle doctrine des fièvres ou de la non-existence des fièvres essentielles. Mémoire en réponse à celui de M. Chomel, ayant pour titre de l'Existence des fièvres, etc., et au rapport de M. Fouquier sur ce Mémoire Paris, 1821, in-8, br. 2 fr.

ROUX (GASP). Histoire médicale de l'armée en Morée pendant la campagne de 1828. Paris, 1829, in-8, br. 4 fr.

SANCHEZ. Dissertation sur l'origine de la maladie vénérienne, pour prouver que le mal n'est pas venu d'Amérique, mais qu'il a commencé en Europe par une épidémie. Paris, 1752, in-12, br. 1 fr. 80 c.

SAUCEROTTE (CONSTANT). Essai sur les altérations des liquides de l'économie animale, considérées dans leurs causes et leurs effets. Paris, 1830, in-8, br. 1 fr. 50 c.

— Eclectisme médical, tel qu'il peut être conçu à l'époque actuelle. Paris, 1830, in-8, br. 60 c.

— Nouveaux conseils aux femmes sur l'âge prétendu critique, ou conduite à tenir lors de la cessation des règles; 3^e édition, augmentée de nouvelles considérations sur la première apparition des règles, les dérangements de la menstruation et sur les fleurs blanches. Paris, 1829, in-8., br. 2 fr.

SÉDILLOT. Manuel complet de médecine légale, considérée dans ses rapports avec la législation actuelle, (*Ouvrage particulièrement destiné à MM. les Médecins, Avocats et Jurés.*) Paris, 1830, in-18, br. 5 fr.

SELLE. Éléments de pyrétologie méthodique, traduit du latin par MONT-BLANC. Lyon, an IX. in-8. br. 3 fr.

SENAC. Traité des maladies du cœur. Paris, 1785, 2 vol. in-12, br. 3 fr.

STOLL. Aphorismes sur la connaissance et cure des fièvres, traduits en français par Corvisart avec le texte latin. Paris, 1797, in-8, br. 6 fr.

SINIBALDI. Traité de l'éducation physique, traduit de l'italien par Bompard. Paris, 1818, in-8, br. 5 fr.

SMYTERRE (de), Topographie historique, physique, statistique et médicale de la ville et des environs de CASSEL (Nord). Paris, 1828, in-8., fig. br. 6 fr.

— Tableaux synoptiques d'histoire naturelle médicale, neuf feuilles, papier grand-aigle, satinées, avec près de 600 fig. gravées, représentant les caractères des familles botaniques, naturelles et zoologiques; br. 18 fr.

Cart. 20 fr.

Ces tableaux, tirés à un petit nombre d'exemplaires, présentent, dans un cadre très étroit et d'une manière philosophique, tout ce qu'il importe de savoir relativement aux animaux et végétaux, ainsi qu'à leurs produits, qui appartiennent au domaine médical. Ce travail, exécuté avec luxe et le soin le plus minutieux ne sera pas seulement utile aux étudiants en médecine et en pharmacie qui doivent passer des examens; mais il sera encore précieux à ceux qui, parvenus à un degré de connaissances suffisantes pour exercer l'une des branches de l'art de guérir, aimeront à avoir sous les yeux le résumé d'une partie de leurs travaux passés, et un recueil d'expériences et de recherches difficiles à répéter, ou disséminées dans un trop grand nombre d'ouvrages. Les découvertes chimiques, thérapeutiques, etc., même les plus récentes, y sont mentionnées, en sorte qu'on peut considérer cet ouvrage comme l'un des plus complets publiés jusqu'à ce jour.


— Phytologie pharmaceutique et médicale ou végétaux envisagés sous les rapports anatomiques, physiologiques, taxonomiques, chimiques, pharmaceutiques et thérapeutiques; etc. Paris, 1829, 1 vol. gr. in-8, avec 300 fig. gravées. 10 fr.


SOEMMERING. Iconologie de l'organe de l'ouïe; traduit du latin, par A. RIVALLIÉ, D. M. P., nouvelle édition. Paris, 1828, in-8. et atlas in-4 de 17 planches très bien lithographiées. 7 fr.

Parmi les travaux anatomiques de SOEMMERING, celui qui a pour objet l'organe auditif est sans contredit

l'un des plus importants; aussi le docteur Rivallière vient-il de rendre un véritable service à la science en mettant à la portée de tous les lecteurs un ouvrage que sa rareté et son prix élevé empêchaient de consulter avec fruit. La lithographie a reproduit avec une netteté et une précision remarquables les parties les plus délicates de l'oreille interne, et que la gravure seule semblait pouvoir rendre convenablement. Ces planches, d'une exécution parfaite, sont accompagnées d'une brochure qui contient leur explication. Aucun traité d'anatomie en planches ne peut rivaliser avec l'exactitude et la perfection des détails anatomiques représentés dans les dix-sept planches de l'organe de l'ouïe de SÖMMERING, qui doivent être recherchées de tous les médecins jaloux de posséder des connaissances précises sur les détails des parties les plus complexes de notre organisation.

- TARTRA.** De l'opération de la cataracte. *Paris*, 1812, in-4, br. 3 fr.
- TENON (M. J.)** Offrande aux vieillards de quelques moyens pour prolonger leur vie. *Paris*, 1813, in-8, br. 60 c.
- THIAUDIÈRE (P. D.)** Observations sur deux cas remarquables d'accouchements laborieux, précédées de réflexions sur l'exercice de la profession de sage-femme en France. *Paris*, 1830, in-8, br. 75 c.
- THIAUDIÈRE (P. D.)**, ancien chirurgien interne de l'hôpital des vénériens et de l'Hôtel-Dieu de Paris. L'art de se préserver de la contagion syphilitique à l'usage des deux sexes, *Paris*, 1831, in-8, br. 1 fr. 50 c.
- TOURTELLE.** Éléments d'hygiène, ou de l'influence des choses physiques et morales sur l'homme, et des moyens de conserver la santé; 4^e édition, revue, corrigée et augmentée par BRICHETEAU, D. M. P. *Paris*, 1823, 2 vol, in-8, broch. 12 fr.
- VIREY.** Histoire naturelle des médicaments, des aliments et des poisons, tirés des trois règnes de la nature, classés suivant les méthodes naturelles modernes les plus exactes; avec l'indication de leurs propriétés; de leurs usages, de leurs qualités nuisibles, et des moyens d'y remédier; leur analyse chimique, leur emploi médical. On y a joint partout les noms spécifiques de zoologie; de botanique et de minéralogie, et distribué les substances d'après leur genre, leur famille, leur ordre d'affinité naturelle avec leurs descriptions. *Paris*, 1820, 1 vol. in-8, broch. 7 f.
- VOISIN.** Du bégayement; ses causes, ses différents degrés; influence des passions, des sexes, des âges, sur ce vice de prononciation; moyens thérapeutiques pour prévenir, modifier ou guérir cette infirmité. *Paris*, 1821, in-8, br. 2 fr.
- WINSLOW.** Exposition anatomique de la structure du corps humain, etc. *Paris*, 1776, 4 vol. in-12, fig., br. 8 fr.





U. HOLZER
BINDER
BOSTON, MASS.

